

V
B J
C
C.R. BIBLIOTHECA
VNIVER. IAGELL.
CRACOVIENSIS



IVDEX ECCLESIASTICVS, POTESTATE *LIGANDI ET SOLVENDI,* In vtroq; Foro REVERENDVS, *SEV* QVÆSTIO De Potestate clauium Ecclesiæ.

Authore
JOANNE NOSKOWIC S. Th. D.
Parocho Wonescense.

POSNANIÆ,
Jn Officina Typographica ALBERTI REGVLI, A. D. 1650.

Matth: 16.

Tibi dabo claues Regni cœlorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.

AD



AD
SANCTISSIMÆ
TRIADIS & MONADIS
DEI OPT. MAX.

A quo omne datum optimum,
& omne donum perfectum
de sursum descendit,

ÆTERNAM LATRIAM.

JMPERATRICIS COELORVM,
GLORIOSÆ DEI GENITRICIS,
SEMPER VIRGINIS,
MARIÆ,

HYPERDVLIAM.

CLAVIGERI ÆTHEREI
Et reliquorum Comparticipum
Poteſtatis clauium, Apoſtolorum, omniumq́ue Cœli
Curialium,

DVLIAM.

Hunc Tractatum de Poteſtate clauium Eccleſiæ,

Supplici mente

OFFERO, DO, DEDICO.



Si quid ex eo, ad vtilitatem Eccleſiæ deriuari poteſt,

Sub ipſorum

Sacratissimo Patrocinio
in lucem educo.



PRÆMONI-



Præmonitio ad Lectorem.

TRACTAVI de *Potestate clauium Ecclesiæ, Lector humanissime, præfixi titulum* IVDEX ECCLESIASTICVS, *quandoquidem Potestas clauium Ecclesiæ est Potestas iudiciaria, seu per modum iudicij exercēda. Siue clauem Ordinis, quæ in ipsa confertur ordinatione, estq́; simpliciter necessaria, ad exercendos actus ligandi & soluendi, in foro Sacramentali; Potestas inquam sanctificatiua, seu remissiua peccati, à qua pendet efficacitas sententiæ; siue etiam clauem iurisdictionis, quæ requiritur ad moralitatem sententiæ accipiamus. Proindeq́; in definitione Potestatis clauium;* IOANNES XXII. *Iudicem posuit, tanquam subiectum Potestatis. Iam verò iurisdictio spiritualis duplex est, vna in foro interiori pœnitentiali, ad remittenda & retinenda peccata vnà cum potestate Ordinis; alia in foro exteriori seu contentioso, quæ est ad gubernandam Ecclesiam, ad leges ferendas, ad censuras irrogandas, ad dispensandum in legibus, & similia. Ergo respectu totius, integræq́; huius Potestatis & iurisdictionis in foro vtroq́; dicitur* IVDEX ECCLESIASTICVS, *in quo hæc spiritualis residet Potestas. Nam & qui leges condit atq́; dispensat; excommunicat, tollitq́; excommunicationem,* IVDEX ECCLESIASTICVS *est, ligatq́; & soluit in foro exteriori Ecclesiæ; & qui peccata remittit aut retinet, nonnisi vt* IVDEX ECCLESIASTICVS, *soluit & ligat in*

 foro

foro interiori Sacramentali. Et quoniam Iudex, vir bonus esse debet, iurisdicendi & æquitatis peritus, vt habetur de Offic. Iudicis, & idem Magister Sent. lib. 4 dist. 19 *requirit in* IVDICE ECCLESIASTICO, *vt videlicet sit præditus vita & doctrina Apostolica, idest, sit in eo probitas & scientia. Fuit hoc adumbratum in legali Pontifice, quem in Rationali iudicij gestare oportebat Vrim & Tummim, seu Doctrinam & Veritatem,* Exod. 28. *Etenim in Sacerdote seu* IVDICE ECCLESIASTICO, *requiritur doctrina siue scientia.* Malach: 2. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam: *requiritur veritas; seu vitæ probitas, hoc enim nomine* Ioan. 3. *censetur.* Qui facit veritatem venit ad lucem. Caueat ergo (*inquit Magister Sent:*) Spiritualis Iudex; sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ, oportet vt sciat cognoscere, quidquid debeat iudicare, iudiciaria enim Potestas hoc postulat vt quod debet iudicare discernat, *Psal:* 2. Erudimini qui iudicatis terram. *Itaq; Sacerdos, qui est* IVDEX ECCLESIASTICVS, *maior est dignitate omni Iudice ciuili, quantò iudicium quod celebrat, eminentius est omnibus humanis tribunalibus, idem enim cum* DEO *tribunal celebrat, causas animarum expendendo, ipsorum etiam iudicum iudicia, si quid fortè per ipsos erratum fuerit, in suo foro cognoscendo, suum autem iudicium à nullo ciuili examinari fas est, vt merito* IVDEX ECCLESIASTICVS *etiam iudicum Iudex censeri debeat.*

Cæterùm

Ad Lectorem.

Cæterùm quòd hæc in lucem qualiacunq; sunt eduxi, monitum velim benignum Lectorem, me stimulis plurimorum concitatum, talentum concreditum in terra ne abscondërem. Feci itaq; pro gloria DEI, quantùm potui, licet forsan aliquis maiora expectaret. Si tamen vel in modico vtilem meam videbo operam, non prætermittam (si DEVS concesserit) eadem methodo ACADAMIÆ *vsitata, De inuenienda & cognoscenda vera DEI Ecclesia. De valore sacrificij Missæ, tractare. Subinde quoq; Catecheses de septem Ecclesiæ Sacramentis. De triplici genere bonorum operum. Deq; tribus virtutibus Theologicis per breues quæstiunculas, cum resolutionibus, ad captum etiam populi, prout in propria Parochiali Ecclesia facere consueui, euulgabo. Modò ista beneuolus Lector, pro sua humanitate & prudentia, æqui boniq; consulat.*

COMMISSIO APPROBATIONIS.

LIBRVM cui Titulus IVDEX ECCLESIASTICVS, ligandi soluendiq; Potestate in foro vtroq; Reuerendus, Censuræ Religiosorum Patrum Fratrum, Francisci Marcinkowski Guardiani, & Antonij Rokoßowic Regentis studij, S. T. Doctorum, Ordinis Minorum Conuentualium Sancti Francisci Posnaniæ, Authoritate Ordinariâ committo. Die 16. Martij Anno Dñi. 1649.

Joannes Branecki
Archidiac. Psczeueń.
Offic: General: Posnań: mpp.

APPROBATIONES.


OPVS præclarum cuius Titulus est IVDEX ECCLESIASTICVS &c. Multo negotio multoq; labore compositũ Authore IOANNE NOSKOWIC S. T. D. Ego Fr. Antonius Rokoszowic S. T. M. ex commissione Perillustris ac Adm̃. R. D. D. Ioannis Branecki Archidiac. Psczeueń. &c. Vicarij in spiritualibus & Officialis Posnań: General: his diebus vidi, legi, & quâ potui diligentia consideraui, in quo cùm nihil offenderim dissonum, quod Catholicæ Romanæ Ecclesiæ præceptis Sacrisq; Canonibus refragetur, ac bonis Christianisuè moribus aduersetur, quin-imo, grauem, solidam, & vndequaq; discussam doctrinam contineat, propterea, vt in lucem prodeat, ad vtilitatem multorum præsentibus meis testimonialibus literis, dignum iudico. In quorum fidem. Datum Posnaniæ in Conuẽ. nostro Franciscano, die 28. Iulij. A. D. 1649.

Idem qui supra Fr. Antonius &c. Min: Conuentualium S. Francisci mpp.

TRactatum de IVDICE ECCLESIASTICO à IOANNE NOSKOWIC S.Th. Doct. conscriptum, ex speciali commissione Perilluś. & A. R. D. Ioannis Branecki, Archid. Psczeueń. Officialis General. Posnań. legi, cumq; nihil Sacris Canonibus ac doctrinæ SS. Patrum Doctorumuè S. Ecclesiæ Catholicæ contrarium contineat, typis mandari dignum censeo.

Fr. Franciscus Marcinkovvski S. T. D. Ordinis Minorum Conuentualium S. Francisci Prouinciæ Polonæ Pr. & Guard. Posnan. mpp.


TRA-



TRACTATVS DE Poteſtate Clauium Eccleſiæ,

Concluſionum, Articulorum, Corollariorũ, & Membrorum

SVMMARIVS.



QVÆSTIO, DE POTESTATE CLAVIVM ECCLESIÆ.

V. Claues, quas CHRISTVS in noua lege conceſsit miniſtris Eccleſiæ, ſint Poteſtas per actus ligandi & ſoluendi definita: ad remittenda & retinenda pecca-

ta post Baptismum commissa, non Ordinis modò, verùm etiam Iurisdictionis authoritate firmata, pertingens ad remissionem ipsius culpæ, necne? *Pag.* 1.

CONCLVSIO I.

Claues à Christo, ministris Ecclesiæ, in noua lege concessas, continere in se Potestatem ligandi & soluendi, cunctorum ratione degentium, commune iudicium est. 7.

ARTICVLVS I.

Vtrum claues sint propriæ Legis nouæ? 8.

ARTICVLVS II.

Vtrum claues sint Potestas ligandi & soluendi? 9.

COROLLARIVM I.

Optimè dixeris, non solàm Potestatem remittendi peccata, esse claues, sed ipsam sub clauibus contineri. 11.

COROLLARIVM 2.

Potestas clauis scientiæ & potentiæ, vna est re, sola ratione distincta, per respectum ad varios actus quatenus à DEO ad illos deputatur. 12.

COROLLARIVM 3.

Nihil est dubium, claues simul esse ad ligandum & soluendum: ad claudendum & aperiendum. Sed actus ligandi & soluendi, competit eis immediatè, respectu subiecti, actus verò aperiendi in relatione ad finem vltimum. 13.

COROLLARIVM 4.

Iudex Ecclesiasticus, virtute clauium, multifariam soluit & ligat: tum remittendo & retinendo peccata: tùm satisfactionem pœnitenti imponendo, tum excommunicando & Ecclesiæ reconciliando. 14.

CONCLVSIO II.

Ligare per sententiam excommunicationis inter actus clauium iurisdictionis, in foro contentioso Ecclesiæ. conuenienter recensetur. 16.

COROLLARIVM I.

Excommunicatio in Scripturis fundata, in maiorem

COROLLARIVM 3.

COROLLARIVM 4.

MEMBRVM II.

CONCLVSIO III.

Traditam esse à Christo, cum clauibus, Ecclesiæ potestatem, concedendi indulgentias, quò facilius fidelis viator, soluatur à reatu pœnæ temporalis, post remissum peccatum manentis, Vniuersalis Ecclesiæ, vnanimis semper declarat consensus. 42.

ARTICVLVS I.

ARTICVLVS II.

COROLLARIVM I.

Rectè dicitur, indulgentia esse Ecclesiastica relaxatio, seu

COROL. 2.

ſtica, ſine controuerſia, indubitatumq; ab omnibus tenetur. 102.

CONCLVSIO V.

Falsò dogmatizant hæretici, Poteſtatem clauium, ad hoc ſolùm datam Miniſtris Eccleſiæ, vt prædicent Euangelium in excitationem fidei, quæ ſola remiſsionem conciliat peccatorum. 103.

COROLLARIVM I.

Friuolè nouabant Nouatiani, non eſſe in Eccleſia Poteſtatem, ad remittenda peccata, poſt Baptiſmum commiſſa. 105.

COROLLARIVM 2.

Peſtis eſt perniciosiſſima dicere, Chriſtianorum peccata poſt Baptiſmum commiſſa, etiam coram DEO, per Pœnitentiam eſſe irremiſſibilia. 107.

COROLLARIVM 3.

Poteſtatem ad remittenda peccata, poſt Baptiſmum commiſſa, negantes eſſe in Eccleſia hæretici, ipſum Pœnitentiæ Sacramentum, innata ſibi prauitate explodere nituntur. 108.

COROLLARIVM 4.

Perpe-

CONCLVSIO VI.


COROLLARIVM I.

COROLLARIVM 2.

COROLLARIVM 3.

COROLLARIVM 4.

QVÆ-



QVÆSTIO
De poteſtate Clauium Eccleſiæ.

VTrum Claues, quas CHRISTVS in noua lege conceſsit Miniſtris Eccleſiæ, ſint poteſtas per actus ligandi & ſoluendi definita: ad remittenda & retinenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa: non ordinis modò, verùm etiam iuriſdictionis authoritate firmata, pertingens ad remiſsionem ipſius culpæ, necne?

STATVS QVÆSTIONIS.

DVo ſunt in quæſtione propoſita, vnum datum, alterum poſtulatum, vnum ponitur pro confeſſo, alterum aſſumitur in controuerſia, vnum ſupponitur, alterum quæritur. Supponitur quidem in hac quæſtione & pro confeſſo habetur, eſſe Claues in Eccleſia, datas à CHRISTO, miniſtris eius; hoc euidens in verbis CHRISTI, *Matth.* 16. Petro dicentis, *Tibi dabo Claues Regni Cœlorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis* &c. Et infra *cap.* 18. omnibus ſimul dictum eſt Apoſtolis: *Quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo*, &c. Eſt verò in controuerſia. Vtrum cum his Clauibus, ſit tradita aliqua Poteſtas ad ligandum & ſoluendum. num verò nudum duntaxat miniſterium,

potissimùm verò in foro Sacramenti pœnitentiæ? Tum etiam qui sint illi actus ligandi & soluendi, Potestati Clauium in sua latitudine, vt etiam Claues iurisdictionis, tàm fori interioris quàm exterioris complectitur, adæquati? & vtrum Sacerdos, virtute Clauium sibi traditarum, in foro Sacramentali ligando & soluendo, peccata post Baptismum commissa, quoad culpam ipsam, pœnitentibus remittere possit? quæ omnia vt planiùs expediantur, prænotanda nonnulla iudicaui.

D. Thom: Suppl. q. 17. art. 2. c.

NOT: 1. Metaphoram Clauium dictarum, desumptam esse à communi vsu Clauium materialium, quarum vsus absoluitur in actibus claudendi & aperiendi. Et inde vox ista clauis, translata est ad significandam Potestatem Ecclesiasticam, ordinatam ad regendas & disponendas animas, vt regnum cœlorum consequi valeant. Ita enim Clauibus Potestatis spiritualis cœlum clauditur & aperitur. Clauditur quidem negatiuè, per subtractionem & denegationem absolutionis indisposito, aperitur autem positiuè absolutionis impensione.

NOT: 2. Omnes & solos Sacerdotes, in ordinatione accipere duas Claues ad ligandum & soluendum, vnam Scientiæ, alteram Potestatis. Dico autem solos Sacerdotes accipere Claues ad ligandum & soluendum, quatenus Clauis denotat Authoritatem seu Potestatem Ordinis: Claues enim, quatenus dicunt authoritatem iurisdictionis, alios etiam præter Sacerdotes habere indubium est. Dixi etiam, omnes Sacerdotes, vtramq; Clauem accipere in ordinatione, propter Magistrum Senten: qui *lib.* 4. *dist.* 19. dicit indoctos Sacerdotes carere claue scientiæ, & hoc ideo, quia Clauem scientiæ, putat esse habitum scientiæ, siue acquisitæ, siue infusæ, quasi verò illa scientia, qua quis præditus erat ante ordinem Sacerdotij, fiat clauis in ordinatione, quæ ante ordinationem non erat clauis, sed simplex habitus scientiæ. Ast longè aliter se res habet, non enim clauis, sed claues signanter Petro promittuntur, ita fit, vt quilibet etiam idiota, in ordinatione accipiat vtramq; clauem, tàm scientiæ, quàm potentiæ. Veriùs ergo est, clauem scientiæ, esse authoritatem, quæ datur in ordinatione, ad examinandam conscientiam pœnitentis, & interrogandum iuridicè in illo foro pœnitentiæ, ita vt ille veritatem fateri teneatur. Est inquam authoritas ad discernendum, quo sit ligandus vel soluendus, cui remittenda peccata vel retinenda, quam authoritatem nullus, etiamsi aliàs doctissimus sit, nisi Sacerdos habet, quæ clauis seu authoritas, aliquando est sine habitu scientiæ, aliquando habitus scientiæ sine illa.

D. Thom: Suppl: q. 17. art. 3. ad 2. Suarez Tom: 4. in 3. p. D. Thom. disp. 16: Sect: 4. num. 6.

NOT: 3.

Not. 3. Nomine Clauis Regni Cœlorũ, non solùm venit Potestas Ordinis, sed etiam iurisdictionis. Est verò Potestas Ordinis character Sacerdotalis, quatenus ex diuina ordinatione seu institutione per illum deputatur quis ad hoc, vt possit esse iudex animarum in foro pœnitentiæ. Proinde sicut character est indelebilis, ita & potestas ordinis est indelebilis; & sicut character in solis & omnibus est sacerdotibus, ita & hæc potestas: & sicut character in ordinatione imprimitur, ita & hæc potestas confertur. Porrò potestas Iurisdictionis est, quæ datur per extrinsecam commissionem, aut alicuius muneris Ecclesiastici collationem, per quam aliquis pastor, aut superior aliorum, quoad forum pœnitentiale constituitur, atq; alij eius subditi efficiuntur. Itaq; hæc potestas non in ipsa ordinatione datur, sicut opinabatur Durandus, & Armacanus, sed extra ordinationis Sacramentum, immediatè per hominem confertur. Vnde nec omnes eam habent. sicut omnes habent potestatem ordinis, sed ij tantùm, quibus per hominem confertur: quæ & auferri potest, augeri, vel minui. Hoc prætcrea sciendum, duplicem esse iurisdictionis Potestatem, aliam Ordinariam aliam Delegatam; Ordinaria quidem Iurisdictio est, quam habere dicitur is, qui ex vi proprij muneris & officij, est superior alteri: habent hanc, qui ex officio sunt pastores animarum, qui & committere eam possunt, suntq; tres ordines eorum in Ecclesia, qui habent ordinariam iurisdictionem. In primo & supremo ordine, est solus Summus Pontifex, qui habet iurisdictionem in vniuersa Ecclesia, à nullo hominum dependenter. In secundo ordine sunt Episcopi, habentes singuli iurisdictionem in suis Diœcesibus. Et quidem munus Episcopale, quoad iurisdictionis potestatem in communi, est de iure diuino, seu ex Christi institutione, qui voluit Ecclesiam per Episcopos gubernari, iuxta illud *Act: 20. posuit Episcopos regere Ecclesiam* Dei. atq; hac ratione iurisdictio Episcoporum, in foro Sacramentali, licet non sit immediatè à Christo dante illam, est tamen immediatè à Christo obligante Vicarium suum, ad communicandum illam. In tertio ordine sunt Parochi, qui etiam ordinarij sunt iudices in foro pœnitentiali, siquidem suam iurisdictionem delegare possunt, vt constat ex *Cap. Omnis vtriusq; sexus,* quod munus est Ordinarij Iudicis, qui cùm ex officio teneatur in foro pœnitentiali iudicium celebrare, ne solus grauetur, potest alteri iurisdictionem delegare.

D. Tom: supra art: 2. ad 1.

Suarez. disp: 16. Sect: 3. n. 7.

Innocent: III. in cap. 2. extra de transl: Epis: Pius I. Epist: 1. Cyprianus Epist: 95.

Not: 4. Clauem scientiæ & potentiæ, cùm ad significandam authoritatem iurisdictionis accommodatur, quandoq; importare vniuersalem pote-

potestatem spiritualem, quæ est in Ecclesia, atq; ita clauis scientiæ, dicitur in Summo Pontifice potestas illa, quam habet ad definiendas veritates fidei, & interpretandam sacram scripturam, hæc enim potestas, etiam clauis regni cœlorum dici potest; tùm quia fides est fundamentum viæ, & tendentiæ ad regnum cœlorum: tùm quia ipsa Sacra scriptura, aliquando solet regnum cœlorum appellari, iuxta illud *Matth: 21. Auferetur à vobis regnum* DEI, *& dabitur genti facienti fructus eius*. Cùm verò regnum cœlorum significat Ecclesiam militantem, vt passim in Euangelio habetur, tunc hoc modo potestas spiritualis, nomine clauium significata, data est à CHRISTO ad regendam Ecclesiam, ad recipiendum intra ipsam, vel separandum ab ea, quos oportuerit, clauisq; potentiæ dicitur. Etenim per traditionem clauium, solet dari possessio domûs, vel ciuitatis, vel regni, ideo etiam per hanc clauium traditionem, potestas hæc, merito significari dicitur, quæ varios habet actus, vt ferre leges, dispensare, punire, excommunicare, absoluere, indulgentias largiri, & alia huiusmodi.

D. Thom: 2. 2. q. 1. art: 10.

NOT: 5. Quandoquidem duplex est clauis, altera Ordinis, Iurisdictionis altera, hæc posterior in duplici foro actus ligandi & soluendi exercet. nunc in foro sacramentali, nunc etiam in foro contentioso, extra sacramentum, per censurarum inflictionem. vt per excommunicationem, & ab ea absolutionem. Dicitur autem excommunicatio, secundum ethymon vocis à communione, seu communicatione, cuius fit expers is, qui excommunicatur. Et quemadmodum nomen communio, iuxta vsum Ecclesiasticum, significat participationem Eucharistiæ vt Dionys: habet *Cap. 3. Eccles. hierarch.* eò quòd per Eucharistiam nobis caro & sanguis CHRISTI cõmunicatur, quæ communicatio est signum vnitatis Ecclesiæ, iuxta illud. *1. Cor. 10. Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno corpore participamus.* Vnde fideles in primitiua Ecclesia, quotidie communicantes, dicebantur perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, *Act: 2.* ita excommunicatio in primitiua Ecclesia, potissimùm cœpta est à priuatione Eucharistiæ, à qua arcebantur scandalosi & grauiter delinquentes: postea verò, sequestrantur etiam à conuersatione fidelium & suffragiis, quòd valde vtile & necessarium est gubernationi Ecclesiæ vt amputentur, & eiiciantur de medio perniciosi, de quo illud simile Tullij, *lib. 3. offic: Vt* inquit *membra quædam amputantur, si & ipsa sanguine & tanquam spiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis, sic ista in figura hominis feritas & immanitas belluæ, à communi tanquam humanitate corporis*

Dyonys:

Vide August. Tract: 26. in Ioan:

poris segreganda est. Porrò excommunicatio duplex est, maior & minor. Maior dicitur, quâ aliquis separatur, non solum à Sacramentis Ecclesiæ, sed etiam à suffragiis communibus, à conuersatione ac conuictu fidelium, cui non licet conuersari cum fidelibus, nec ipsis cum illo. Minor excommunicatio, quando aliquis à Sacramentis tantùm arcetur, sed non à cœtu & conuersatione fidelium, vnicuiq; tantum in vsu est casus, quo incurritur hæc excommunicatio, scilicet ob participationem cum excommunicato maiore excommunicatione vitando: & de facto, nunquam à iudice fertur, sed tantùm à iure. Et quidem maior excommunicatio, variis nominibus solet appellari, dicitur aliquando *mors*, quia sicut mortuus vitæ corporalis fructibus caret, ita excommunicatus vitæ spiritualis fructibus priuatur. Dicitur *Gladius Spiritualis*, quia sicut aliquando materiali Gladio, inobedientes imperio Sacerdotis, interficiebantur. *Deuter* 17. ita nunc spirituali gladio excommunicationis, necantur inobedientes Ecclesiæ, & extra Ecclesiam vt cadauera eiiciuntur. Dicitur *Neruus Ecclesiasticæ disciplinæ*, ita Concil. Trid: *Sess. 25. cap. 3. de reform.* quia sicut neruus continet membra corporis in officio suo, ita excommunicatio fidelem populum. Dicitur *Anathema*, *Gal:* 1. *Licet nos; aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis. anathema sit.* nam qui anathematizabantur, diuinam portabant maledictionem. Differt autem anathema ab excommunicatione maiore, non simpliciter, sed solemnitate, eò, quòd maiore cum solemnitate profertur, quia dùm anathema profertur, debent Episcopum circumstare duodecim sacerdotes, habentes in manibus accensas candelas, quas in fine anathematis debent in terram proiicere ac pessundare. Dicitur etiam excommunicatio maior, *Traditio sathanæ*, ita Apostolus. 1 *Cor.* 5. de quodam incæstuoso. *Et.* 1. *Tim:* 1. de Hymenæo & Alexandro.

Concil: Trid.

NOT. 6. Quando de claue iurisdictionis extra Sacramentum sermo instituitur, considerandum est de foro indulgentiarum, quod medium locum tenet inter forum sacramentale, & forum iudiciale. Negârunt autem indulgentias antiqui hæretici. Nouatiani quidem dicentes, quòd homo de peccatis, quæ post baptismum committit, veniam consequi non potest, etiam indulgentias consequenter sustulerunt. Waldenses dixerunt, Indulgentias non esse alicuius valoris. Wicleffus fatuum esse credere indulgentias Papæ & Episcoporum. Nouissimè his diebus Lutherus dixit, indulgentias esse, nunc pias fidelium fraudes, nunc impiissimas imposturas. Sed hi omnes semper ab Ecclesia Catholica sunt condemnati, quæ docet indulgentias esse

Alens. 4. p. q. 83. in princ.

 rela-

relaxationes & remissiones pœnarum debitarum, post peccata remissa; semperq; traditio ista perseuerat in Ecclesia, ad quam tenendam hortatur Apostolus 2. *Thess*: 2. *State & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram*. Iam verò indulgentia solet diuidi in totalem seu plenariam, & partialem. Totalis est, quæ totam pœnam remittit ei, cui applicatur, & constituit hominem in eo statu, in quo possit consequi statim visionem beatificam, si moriatur. Partialis verò dicitur, quæ partem tantùm remittit pœnæ. Cùm autem Iubilæus conceditur, plenaria indulgentia conceditur, sub forma plenissima, eo scilicet modo, quando cum indulgentia plenaria conceduntur alij fauores, vt absolutio à casibus reseruatis, à censuris, & commutatio votorum. Et hæc tantùm est differentia Iubilæi à plenaria indulgentia, quòd cum Iubilæo conceduntur alij fauores, & priuilegia, quæ sunt planè accidentaria ad plenariam indulgentiam.

Not: 7. Vt Clauis vniuersalem designat spiritualem in Ecclesia potestatem, per actus condendi leges, in iisq; dispensando exercetur, quam potestatem à Deo Ecclesiæ datam, prauitas hæretica impugnare præsumit. Primò quidem Waldenses, teste Antonino 4. *parte, Theolog*. negarunt in Ecclesia esse potestatem ad leges condendas; deinde Marsilius de Padua in suo Defensore pacis; tandem Wicleffus, qui damnatur in Concil: Constantiensi. *Sess*. 8. Hus quoq; dicebat obedientiam Ecclesiasticam, esse solùm adinuentionem sacerdotum Ecclesiæ: item aliæ pestes, dicentes non posse Prælatos Ecclesiæ condere leges, quæ obligant in conscientia, sed solùm exhortari populum ad seruanda præcepta Dei. Deniq; Lutherus, Melanchton, & Caluinus, negant esse in Ecclesia aliquam potestatem condendi leges in conscientia obligantes, quæ non sunt expressæ in scriptura, illud solùm concedunt Prælatis Ecclesiæ, quòd constituant aliquem ordinem, qui non obligat, nisi ratione scandali; Porrò peruersam esse Hæreticorum præsumptionem, infra patebit.

Vide. Vasquez Tom: 2. in 1. 2. D. Thom:

Not: 8. De potestate clauium varias aliquando extitisse sententias & opiniones, tùm Hæreticorum, tùm quorundam Catholicorum. Hæretici dicunt, potestatem clauium, ad hoc solùm datam esse ministris Ecclesiæ vt prædicent verbum Dei, & fidem doceant, per quam fit remissio peccatorum, proindeq; ministrum non esse in hac re iudicem, sed præconem Dei; neq; pro potestate clauium absoluere, sed tãtum annũtiare pœnitentibus indulgentiam, & remissionem peccatorum, impœnitentibus autem iram & damnationem, ita vt remittere aut retinere peccata, nihil

fit

ſit aliud niſi polliceri ex verbo DEI remiſſionem peccatorum credentibus, & edicere damnationem, non amplectentibus CHRISTVM; atq; in ſui erroris confirmationem, detorquet illud *Luc*: 24. *Oportet prædicari in nomine eius pœnitentiam, in remiſsionem peccatorum*. Porrò ex Catholicis aliqui dixerunt ſacerdotẽ virtute clauium, non dimittere peccatũ, ſed declarare & oſtendere dimiſſum. Ita ſenſit Magiſter. Sent: *lib*. 4. *diſt*. 18. Alij per hanc poteſtatẽ clauium, non peccatum ipſum, ſed ſolùm pœnam æternam, per peccatum meritam, remitti aſſeuerabant: peccatum verò ipſum, à ſolo DEO condonari & deleri. Alij etiam, tantùm pœnam temporalẽ remitti hac poteſtate docuerunt, Alij tandem, ſolùm remitti obligationem confitendi illá in poſterum, quia quantumuis maximam contritionem habeat pœnitens de peccatis commiſſis, per quam conſequitur remiſſionem peccatorum à DEO, adhuc tamen obligatus manet, cùm poterit illa peccata ſubiicere poteſtati clauium, quod cùm fecerit, iam per abſolutionem datam virtute clauium, liberatur (inquiunt) ab illa obligatione. At iſtud planè gratis dicitur, tùm quia hoc modo confeſſio & ſacramentalis abſolutio, non eſſet niſi in onus, quod non conuenit Sacramentis nouæ legis, ait D. Thom. *Suppl*: *q*. 18. *art*: 2. *c*. tùm etiam, quia abſolutio ab obligatione, nullo modo poteſt dici abſolutio à peccatis, cùm ipſa obligatio peccatum non ſit, abſoluens tamen ſe à peccatis abſoluere proteſtatur, tùm deniq;, quia confitentur tantùm venialia, aut mortalia, quæ iam antea ritè confeſſa fuerunt, non eſſet danda abſolutio, quia venialia, & illa mortalia, quæ quis ritè confeſſus antea fuit, abſolutionemq; obtinuit, non obligatur confiteri, quod tamen rectè fieri, infra oſtendetur. Atq; his ita prænotatis, ſit.

Magiſter. Sent:

D. Thom:

CONCLVSIO I.

CLaues à CHRISTO Miniſtris Eccleſiæ, in noua lege conceſſas, continere in ſe poteſtatem ligandi & ſoluendi, cunctorum ratione degentium commune iudicium eſt.

Doctrinam fidei continens Concluſio, vt commodiùs expediatur, & quod in ea latet manifeſtiùs appareat, per Articulos examinanda videtur. ſit proinde;

Articulus

ARTICVLVS I.

Vtrum Claues sint propriæ Legis nouæ?

NOn esse proprias, his rationibus ostendi potest. 1. Fuerunt etiam in lege naturæ. Ergo non sunt propriæ legis nouæ;

ANTEC. Sacramentum pœnitentiæ fuit in lege naturæ, dicit enim Magister Sent: *lib*: 4. quòd Sacramentum pœnitentiæ, sicut & coniugij, ab exordio generis humani cæpit. Sed vsus clauium exercetur in Sacramento Pœnitentiæ. Ergo fuerunt in lege naturæ, MAI: *confirmatur*. Tunc fuit Sacramentum pœnitentiæ, quando erat necessarium medium salutis: si enim natura non deficit in necessarijs, vt Philos: dicit. *lib. 3. de anima*, *Tex*: 45. certè nec Author naturæ DEVS, qui semper salutis humanæ exhibet media necessaria. Sed in lege naturæ, Sacramentum pœnitentiæ erat necessarium medium salutis, contra actualia peccata ordinatum: Ergo in lege naturæ erat à DEO institutum. 2. Quod habebant sacerdotes legis Mosaicæ, illud non est proprium sacerdotibus legis nouæ: Atqui Claues habebant sacerdotes legis Mosaicæ: Ergo non sunt propriæ Sacerdotibus legis nouæ. MIN. claues sunt duæ, scilicet discernendi scientia, & iudicandi potentia, , ait Magister *sent: lib.* 4. *dist:* 18. Sed sacerdotes legis Mosaicæ, ad vtrumq; habebant authoritatem. Ergo sacerdotes legis Mosaicæ claues habebant. *In Oppositum tamen.*

CONCLVDITVR. Claues prout nunc sunt in Ecclesia, propriæ sunt legis nouæ. *Ita D. Thom: Suppl. q.* 19. *art*: 1. *Alexand*: *p*. 4. *q*. 79. *membr*. 6. *art*. 3. *Suarez Tom*: 4. *in* 3. *p. disp*: 16. *Sect*: 4. *n*. 10. Et probatur. Introducere in regnum cœlorum, est proprium nouæ legis, cùm iam propalata est via Sanctorum, *Hebr*. 9. Sed claues, prout nunc sunt in Ecclesia sunt claues regni cœlorum, iuxta illud *Matth*. 16. *Tibi dabo claues Regni cœlorum*. Ergo claues prout nunc sunt in Ecclesia propriæ sunt legis nouæ. MAI. Ei proprium est introducere in Regnum cœlorum, cui proprium est amouere obstacula regni cœlorum, & conferre gratiam, sine qua, non aperitur aditus regni cœlorum. Sed legi nouæ proprium est amouere obstacula regni cœlorum, scilicet peccata dimittere, *Ioan*. 20. *Quorum remiseritis peccata*. proprium est conferre gratiam per sua Sacramenta, quod neq; lex naturæ, nec Mosaicæ præstabat. DEINDE etiam, tempore legis naturæ & Mosaicæ, nondum aperta erat ianua regni cœlestis, (quam CHRISTVS aperuit, *dum per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta æter-*

D. Thomas. Alensis. Suarez.

nâ

na redemptione inuenta: *Hebr.* 9.) proinde nec claues tunc erant, quæ introducerent in regnum cœlorum, sunt ergo propriæ legis nouæ.

AD Argum: *resp.* *Ad* 1. *neg: Ant. Ad probat*: *d.* quòd remedium peccati in lege naturæ, non fuit Sacramentum pœnitentiæ, sed virtus. *Ad Confirmat*: tunc necessaria erat virtus pœnitentiæ, vel gratia in remedium peccati; & in hoc non deficiebat Author naturæ.

AD 2. *resp.* *neg*: *Min*: non enim habebant claues Sacerdotes legales, prout nunc in Ecclesia, ad introducendum in regnum cœlorum, quamuis habebant authoritatem discernendi & iudicandi ad intromittendum in figuras regni cœlorum, proindeq; Sacerdotes in lege Mosaica, habebant claues incompletas, nunc in noua lege, per Christum perfectas habent. D Thom. supra ad 2. Alens:

ARTICVLVS II.

Vtrum claues sint potestas ligandi & soluendi?

NEgant hæretici. Caluinus *lib.* 3. *Instit*; *cap.* 4. § 21. Kemnicius in 2. *p.* examinis *Concil: Trid*: *cap.* 5. vt refert Bellarm: *Tom*: 2. *lib.* 3. de pœnit: *cap.* 2. I. Nudum ministerium non est potestas; sed ministris Ecclesiæ, à Christo cum clauibus, nudum ministerium ligandi & soluendi est demandatum, nam & Apostolus 2. *Cor.* 5. dicit: *Dedit nobis ministerium reconciliationis.* Ergo claues prædictæ, non continent in se potestatem aliquam ligandi & soluendi, CONFIRM: ASSVMPTVM. Nam potestas soluendi est propria solius DEI, qui animam mundat ab interiori macula, & à debito æternæ mortis soluit, vt qui habet *claues mortis & inferni.* *Apoc*: 1. Ergo sacerdos nudum ministerium declarandi solutum esse, exercet. 2. Si claues concessæ à Christo ministris Ecclesiæ continerent in se potestatem ligandi & soluendi, omnis qui habet claues, posset ligare & soluere: sed non omnis habens claues, potest ligare & soluere, Ergo claues prædictæ, non continent in se potestatem ligandi & soluendi. ASSVMPTVM probatur. Omnis presbyter in sua ordinatione accipit claues, vt in notabili 2. tangitur. Sed non omnis presbyter potest ligare & soluere, vt constat de carentibus iurisdictione. Ergo non omnis qui habet claues, ligare vel soluere potest. non ergo claues sunt potestas. *In Oppositum tamen*, Caluinus. Kempnitius: Bellarm.

CONCLVDITVR. Ministris Ecclesiæ, cum clauibus confertur potestas ligandi & soluendi, Ita Concil: Trid: *Sess*: 14. *can.* 3. & 9. Concil. Trid.

D. Thó. *Suppl: q.* 17. *ar.* 2. *&q.*18. *art:* 3. Fūdaturq; cōclusio in verbis Christi, duplicem hunc actum potestati clauium tribuentis, & ligandi & soluendi, *Matth:* 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris, erit ligatum, & quodcunq; solueris, erit solutum.* Et *cap.* 18. *Quæcunq; alligaueritis, erunt ligata, & quæcunq; solueritis, erunt soluta*, Ex quibus sic argumentari licet. Actus, seu vsus & executio, supponit potestatem ex qua promanat, & à qua dependet. Sed soluere & ligare sunt actus, attributi clauibus, à Christo ministris in noua lege, concessis: Ergo claues dictæ, continent in se potestatem ligandi & soluendi. Sicut enim per actum secundum, seu operationem, rectè à posteriori infertur actus primus, seu forma ipsa quæ est principium operationis; ita per vsum & executionem potestas demonstratur. Deinde. Soluere & ligare sunt actus iudiciales, vt de se patet. nam quando iudex reum pronuntiat liberum, soluit; quando ei aliquid oneris imponit, ligat. Ergo omne iudicium habet in se potestatem ligandi & soluendi: Sed per traditionem clauium, Sacerdotes, à Christo iudices animarum in foro pœnitentiæ sunt constituti, qui iudicent, quibus peccata sint remittenda, quibus verò retinenda. Ergo claues dictæ, continent in se potestatem soluendi & ligandi. Præterea; Cuius signum antecessit in mysteriis scripturæ, illius negare existentiam completam, proterui & vecordis est animi. Sed potestatis ligandi & soluendi, clauibus attributæ, signum antecessit in mysteriis scripturæ *Ioann:* 11. circa suscitationem mortui Lazari, per quam denotatur iustificatio peccatoris, Apostolis dictum legitur, *Soluite eum & sinite abire.* Et *Matth:* 21. Eisdem de asina alligata cum pullo præcipitur. *Soluite & adducite mihi.* Ergo claues à Christo concessæ ministris Ecclesiæ, potestatem ligandi & soluendi continent. Insvper: Conclusio hæc, ex definitione clauis colligitur, quam tradit Magister Sent: *lib.* 4. *dist:* 18. dicens: *Clauis est potentia iudicandi*, id est ligandi & soluendi. Ergo clauis continet in se potestatem ad ligandum & soluendum.

Ita exponit Origen Homil: 14 in Matth. Athanasius. Hylarius.

AD Argum: Resp. Ad 1. *negan:* Assvmptvm, ad cuius confirmationem dici potest: Principali potestate, sibi propriâ & à nullo dependente solus Devs soluit, concessit tamen sacerdotibus ministerium cum potestate dependente, quæ tamen potestas, non est solum nudum ministerium declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus iudicialis, quo à sacerdote veluti à iudice, sententia pronuntiatur. ita Concil: Trid:

Conc. Trid.

Trid: Sess. 14. cap. 6. & Can: 9. de Sacramento pœnitentiæ, vbi anathema dicit omnibus, qui absolutionem sacerdotis, nudum dixerint ministerium.

AD. 2. Resp. Omnis qui habet claues, habet potestatem ligandi & soluendi, hæc enim potestas cum clauibus datur in ordinatione: Sed vsum & executionem potestatis non omnis habet, nisi ei iurisdictio conferatur, & hoc probat argumentum, nam vsus & executio potestatis clauium, cum traditione materiæ datur, per collationem iurisdictionis, vel ordinariæ vel delegatæ. D. Thom. Suppl. q. 17. art: 2. ad. 2.

COROLLARIVM I.

Optimè dixeris, non solam potestatem remittendi peccata esse claues, sed ipsam sub clauibus contineri.

Ita Suarez. disp: 16. Sect: 4. n: 9. Ratio est. quia pars non est totum, in quacunq; diuisione totum & partes sumantur. Sed potestas remittendi peccata, respectu dictarum clauium, habet se per modum cuiusdam partis ad totum. Ergo sola potestas remittendi peccata, non sunt claues, verùm ipsa continetur sub clauibus, sicut inferius, in suo superiori includitur. DEINDE. Si claues essent sola potestas remittendi peccata, æquè latè paterent. Sed claues dictæ, & potestas remittendi peccata, non æquè latè patent. Ergo. ASSVMPTVM. nam quæ æquè latè patent, reciprocantur & recurrunt: porrò claues & potestas remittendi peccata non reciprocantur neq; recurrunt. Etenim illa non possunt reciprocari aut recurrere, quorum vnum comprehendit aliud, & aliquid amplius. Sed nomine clauium, comprehenditur potestas remittendi peccata, & amplius aliquid, vtpote actus illuminandi, dispensandi, regendi &c. vt propterea Caietanus intulerit, claues secundum suos actus adæquatos, in solo esse Summo Pontifice, soliq; Petro promissas hoc modo. Matth: 19. Tibi dabo claues, cui plenitudo potestatis, ad regendam Ecclesiam est tradita. Suarez.

OBIIC: Definitio idem est suo definito, nec potest latiùs patere definitum quàm sua definitio, vtrumq; enim adinuicem reciprocari & recurrere est necesse. sed claues per potestatem remittendi peccata definiuntur, vt colligitur ex decreto IOANNIS XXII. dicentis: *Claues sunt potestas, quâ Iudex Ecclesiasticus, dignos admittere valet ad regnum cœlorum, & re-* IOANNES XXII.

Magister. Sent. *& repellere indignos.* In hunc sensum Magister. Sent. *lib.* 4. *dist*: 18. dicit, claues esse discernendi scientiam, & potentiam iudicandi, id est ligandi, & soluendi, quâ dignos recipere, indignos debet excludere à regno Ecclesiasticus iudex. Ergo claues nihil amplius continent, quàm potestatem remittendi peccata, atq; ita sola potestas remittendi peccata sunt claues, cùm per hanc solam definiantur. *Resp.* Definitio quiditatiua, quæ datur per genus proprium & differentiam specificam, identificatur suo definito, nec debet plura in suo ambitu continere definitum, quæ in tali definitione non explicentur. Porrò definitiones datæ clauium quiditatiuæ non sunt, sed solùm per actum communiorem, & omnibus notiorem, qui est soluere & ligare: admittere ad regnum cœlorum, & excludere, seu remittere & retinere peccata, vim clauium explicant.

COROLLARIVM 2.

Potestas clauis scientiæ & potentiæ, vna est re, sola ratione distincta, per respectum ad varios actus, quatenus à DEO ad illos deputatur.

Suarez. Ita Suarez *disp.* 16. *Sect*: 4. *num.* 6. RATIO. quia; Non potest esse maior distinctio inter potestatem clauis scientiæ & potentiæ, quàm sit inter potestatem consecrandi Eucharistiam, & potestatem ligandi atque soluendi. Hæc propositio nota & clara in terminis, siquidem inter illa, non potest maior obuiare distinctio, quæ ad rationem vnius rei spectant, quàm inter illa, quæ ad rationem plurium determinantur; porrò potestas clauis scientiæ & clauis potentiæ, ad rationem vnius Sacramenti, scilicet absolutionis spectant; potestas autem consecrandi Eucharistiam, & potestas ligandi atque; soluendi, ad diuersa Sacramenta, hæc nimirum ad Sacramentum pœnitentiæ, illa cænæ Domini. Non ergo potest esse maior distinctio inter potestatem clauis scientiæ, & potestatem clauis potentiæ, quàm sit inter potestatem consecrandi, & potestatem ligandi atq; soluendi. Sed potestas consecrandi, & potestas ligandi atq; soluendi, vna & eadem est re per essentiam, nec differt nisi ratione, secundum quod ad diuersos effectus comparatur, sicut ignis dicitur secundum aliam rationem calefactiuus, & lique-

factiuus, vt ratiocinatur Doctor Angelicus *Suppl. q. 17. art. 2. ad* 1. Ergo potestas clauis scientiæ & potentiæ vna est re per essentiam, solâ ratione distincta, per respectum ad varios actus, scilicet cognitionem & examinationem causæ, & sententiæ prolationem. DEINDE. Potestas ista & claues præter characterem ordinis sacerdotalis, nihil reale & physicum ponunt in homine, cùm character sit ipsa potestas exercendi illud, ad quod principaliter ordo sacerdotij destinatur, ait ibidem S. Doctor, quoniam verò Sacerdotij character vnus est, consequitur, vnam esse in se secundum rem & essentiam, potestatem integram & perfectam, clauis scientiæ & potentiæ. D. Thomas. D. Thomas.

OBIIC. Subordinans & subordinatum, magis quàm ratione distinguuntur, vt constat de causâ principali & secundariâ, vbi secundaria subordinatur principali: sed etiam clauis scientiæ subordinatur claui potentiæ, ergo magis quàm ratione distinguuntur. *Resp.* Subordinans & subordinatum, cùm diuersa connotant supposita, & habitus diuersos, magis quàm ratione distingui, non est controuersum; clauis autem scientiæ, & potentiæ, ad idem suppositum habitudinem dicunt, ex eodemq; charactere, tanquam principio propendent, proinde vna est potestas re, solâ ratione distincta.

COROLLARIVM 3.

Nihil est dubium, claues simul esse ad ligandum & soluendum, ad claudendum & aperiendum. Sed actus ligandi & soluendi, competit eis immediatè respectu subiecti, actus verò aperiendi in relatione ad finem vltimum.

Ita habet Alensis 4. *p. q.* 79. *m:* 5. Veritas corollarij manifesta. Homo enim ordinatur ad regnum cœlorum, tanquam ad finem vltimum: Ergo illud ingrediendi necessitatem habet. Sed regnum cœlorum ingredi non potest, dùm clausum manet per peccatum: Ergo illud est remouendum; remouetur autem peccatum quando remittitur per absolutionem peccatoris virtute clauium, ex diuinâ institutione. Ergo actus ligandi & soluendi, competit clauibus immediatè, respectu subiecti, scilicet hominis, in quo immediatè exercetur potestas dicta-

rum clauium: actus verò aperiendi competit eis, quatenus subiectum reddunt capax regni cœlorum, tanquam finis vltimi.

D. Thom. Suppl: q. 17. art: 1. ad 3. OBIIC: Si potestatis clauium sunt actus claudere & aperire: Ergo potestas hæc, ita potest dici clauis inferni, sicut dicitur clauis regni cœlorum: Sed hoc cum incommodo dicitur. Ergo potestas hæc, non est ad claudendum & aperiendum. PROPOSITIONIS consequentia liquet, quia si ex æquo potestas clauium est ad claudendum & aperiendum, tunc sicut digno aperiendo cœlum, claudit infernum; ita indigno claudendo cœlum, aperit infernum: sed ex eo, quòd aperit digno & claudit indigno cœlum, dicitur clauis regni cœlorum: Ergo etiam eadem ratione, ex eo quòd claudit digno, & aperit indigno infernum, debet dici clauis inferni. *Resp.* Omnis denominatio fit à potiori; porrò terminus ad quem, est potior termino à quo; Regnum cœlorum quandoquidem est terminus ad quem tenditur ex vi huius potestatis clauium, infernus autem est terminus à quo receditur, ideò denominatio clauis est à regno cœlorum, non autem ab inferno. DEINDE, quod dicitur de claudendo cœlum & aperiendo infernum, non est hoc per se intentum in potestate clauium, sed quasi præter intentionem, & solùm Suar. disp. 16. Sect: 4. n. 5. priuatiuè, non aperiendo cœlum, exigente ipsa peccatoris malitia: nam quod per se intenditur per hanc potestatem, est apertio regni cœlorum, & hoc solùm fit directè, per se ac positiuè per illam.

COROLLARIVM 4.

Iudex Ecclesiasticus, virtute clauium, multifariam soluit & ligat: tùm remittendo & retinendo peccata, tùm Satisfactionem pœnitenti imponendo, tùm excommunicando & Ecclesiæ reconciliando.

PAtet id quod colligitur. Etenim dùm sacerdos virtute clauium remittit peccata, soluit positiuè, idipsum enim per se intendit, vt peccatum tollatur, est enim actus per se intentus, & propter quem primariò est ista potestas instituta, remissio & ablatio culpæ, quod fit per propriam & positiuam actionem. Dùm verò retinet peccatum, ligat negatiuè, scilicet negando absolutionem indisposito, vnde actus iste ligandi, seu

di, seu retinendi peccata non est positiuus, nec fit per directam actionem huius potestatis, quia nec potestas hæc culpam influit, aut conseruat, nec impedit remissionem eius, siquidem hoc totum, est contra finem huius potestatis, tantum iuridicam profert sententiam, hunc esse indignum remissione peccati. Quanquam aliqui dicunt, posse sacerdotem positiuè retinere peccatum, eo scilicet modo, quia dùm negat absolutionem pœnitenti, potest illi imponere aliquod onus, quod facere teneatur, vt absolutionem & remissionem peccati possit obtinere, per quod positiuè retinet peccatum, quia de nouo ita ligat pœnitentem, vt nisi faciat quod sibi iniunctum est, non possit peccati veniam obtinere, etiam per contritionem, quia nec cōtritionem veram habere censetur, nisi impleat quod sibi iniunctum est, aut implendi propositum habuerit. Ligat etiam Sacerdos virtute clauium, dùm Satisfactionem pœnitenti imponit, & hoc modo positiuè & directè ligat. Quoniam verò satisfactio sic imposita, efficacior est ad expiandam pœnam, virtute clauium, quàm ex se esset, ideò sacerdos hoc modo ligando, simul etiam soluit, quia efficaciam præbet ad ampliorem & faciliorem solutionem. Ligat denique iudex Ecclesiasticus virtute clauium, separando inobedientem à communione fidelium: soluit, dùm eundem resipiscentem aggregat consortio bonorum, & in gremium recipit Ecclesiæ.

Bellarm: lib: 4 de pænit: cap. 5. & cap 12.

OBIIC: Si excommunicare esset actus potestatis clauium, quisquis habet claues, posset excommunicare. Sed hoc non, quia quilibet sacerdos habet claues, nec tamen quilibet potest excommunicare, solis id competit maioribus prælatis, ait D. Thom: *Suppl. q. 22. art: 1 c.* Ergo excommunicare, non est actus potestatis clauium, quæ est potestas ligandi. *Resp.* Excommunicare, non est actus clauis vt dicit solam ordinis potestatem, sed est actus clauis, vt dicit potestatem iurisdictionis, idque respectu exterioris iudicij, proinde ille solus excommunicare potest, qui habet iurisdictionis clauem, in foro exterioris iudicij. Et quoniam non quilibet sacerdos habet clauem iurisdictionis in foro exteriori, sed soli prælati maiores, proindeque non quilibet sacerdos potest excommunicare. Sed vt hoc planius fiat, sit;

D. Thom:

CONCLVSIO. II.

Ligare per sententiam excommunicationis, inter

actus

actus clauium iurisdictionis, in foro contentioso Ecclesiæ, conuenienter recensetur.

Gloss: PROBATVR Conclusio *ex Glossa in Cap: Dilecta*, de maioritate & obedientia. vbi dicit, hunc gladium disciplinæ Ecclesiasticæ, procedere à potestate clauium namque ligare & soluere, sunt actus proprij potestatis clauium, vt declaratum est, qui verò excommunicatur, suo modo ligatur, vt ostendit Magister Sent. *lib.* 4: *dist.* 18. & communiter in eo loco Theologi. (Magister Sent:) Ergo ligare per sententiam excommunicationis, inter actus clauium, nempe iurisdictionis, in foro causarum Ecclesiæ, rectè enumeratur. CONFIRM. MIN. ex Euangelio *Matth*: 18. ibi enim postquam præcepit CHRISTVS inobedientem Ecclesiæ excommunicare, dicens. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*, quòd hæc possint facere prælati Ecclesiæ, potestate clauium, cuius est actus ligare, continuò subiungit dicens, *Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo*, Imò & in *cap.* 16. *in verbo. Quodcunq; ligaueris*, comprehenditur excommunicatio, cùm illud CHRISTVS absolutè protulerit. (Ita Rosensis art: 17:) Ergo excommunicatio exercetur ligando; per vsum potestatis clauium iurisdictionis in foro externo & contentioso. DEINDE, Actus potestatis clauium est, excludere indignos à regno cœlorum, vt in definitione clauium IOANNES XXII. posuit in sua Extrau: dicens; *esse potestatem, quâ iudex Ecclesiasticus, dignos admittere valet ad regnum cœlorum, & repellere indignos.* (IOANNES. XXII.) Atqui per sententiam excommunicationis indigni repelluntur seu excluduntur à regno cœlorum, quippe ab Ecclesia militante, est enim excommunicatio, separatio à communione Ecclesiæ. vt etiam D Thom: habet. (Suppl: q. 21. art: 1.) Ergo inter actus potestatis clauium, conuenienter refertur ligare per sententiam excommunicationis. PRÆTEREA; Sicut ligat sacerdos pœnitentem in foro pœnitentiali, imponendo illi onus, quod ipse portare tenetur in remedium peccati, vt satisfaciat DEO: ita iudex Ecclesiasticus, in foro contentioso excommunicando, ligat contumacem vt satisfaciat homini. Sed ligare in foro pœnitentiali, imponendo onus ad satisfaciendum DEO, est actus clauium ordinis. Ergo etiam ligare per excommunicationem, ad satisfaciendum homini, est actus clauium iurisdictionis in foro contentioso.

OBIIG, 1. Si ligare per excommunicationem, est actus potestatis clauium

clauium. Ergo etiam in antiqua lege, eijcere ex Synagoga, erat actus clauium, quia sicut nunc; qui excommunicantur, à communione Ecclesiæ separantur, ita in antiqua lege, qui eijciebantur ex Synagoga, separabantur à communione aliorum. *Numer.* 5. præceptum erat, *Eijciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusq́ est super mortuo.* Ast in antiqua lege eijcere ex Synagoga, non erat actus potestatis clauium, Ergo neq; nunc excommunicare. ASSVMPTVM constat, quia si eijcere ex Synagoga in antiqua lege esset actus clauium, legale sacerdotium claues habuisset: sed hoc non, claues enim ordinantur ad aperiendum regnum cœlorum, sacerdotium autem legale illud aperire non potuit, quod CHRISTVS primùm sua passione reserauit, qui iuxta illud *Hebr.* 9. *Assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manu-factum, neq́ per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta.* Ergo eijcere ex Synagoga, non erat actus potestatis clauium. *Resp.* negan: Assumptum. *Ad probat: d.* Sacerdotium legale, etsi non habebat claues cœli, habebat tamen claues terreni tabernaculi, sicut enim lex noua, & lex vetus, habent se secundùm perfectum & imperfectum, vetus seruæ, noua liberæ. *Gal.* 4. comparata. ita sacerdotium Euangelicum & legale, secundùm perfectum & imperfectum ad se comparantur. Lex ergo noua, quoniam perfectior est lege antiqua, ideò & Sacerdotium Euangelicum, perfectiorem habet potestatem, quæ, metaphorâ clauis significatur, nempè clauem habet ad claudendum & aperiendum coelum (vt superius tactum est) quam non potuit sacerdotium legale habere, ob rationem dictâ in argumento. Habuit tamen clauem, ad claudendum & aperiendum terrenum tabernaculum, dùm purgabat ab illis irregularitatibus homines, à quibus iam purgati, admittebantur ad terrenum tabernaculum. Et hoc modo clauis dicebatur illa potestas, quâ ex Synagoga sequestrabant aliquos, in qua præcessit typus & figura clauium Euangelij, quarum potestate inobedientes ab Ecclesia separantur.

D. Thom. Suppl. q. 19. art: 1.

OBIIC: 2. Actus clauium, non potest exerceri nisi ab eo, qui habet claues. sed excommunicare possunt, etiam ij qui non habent claues, vtpotè nondum sacerdotes. Ergo excommunicare, non debet dici actus clauium. MIN. declarari ita potest. quia si nondum sacerdotes haberent claues, possent remouere impedimenta introitus cœlestis, per remissionem peccati, quia ad hoc data est potestas clauium à CHRISTO, *Ioann.* 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sed hoc non sacerdotes facere non

possunt, Ergo non sacerdotes non habent claues. *Resp.* Duplex est clauis,
D. Thom. vt rectè D. Thom. *Suppl. q.* 19. *art.* 3. distinguit: vna quæ se extendit ad ipsum cœlum immediatè, remouendo impedimenta ad cœlum, nempè peccata remittendo, & hæc est clauis ordinis, quam soli sacerdotes habent, ordinati populo in ijs, quæ sunt directè ad DEVM. Alia clauis est, quæ non directè se extendit ad cœlum, sed mediante Ecclesia militante, per quam aliquis ad cœlum vadit, dùm scilicet aliquis per hanc clauem excluditur ex Ecclesia, vel admittitur ad eam, per absolutionem ab excommunicatione, per quam exclusus fuit ex Ecclesia, vocaturq; hæc clauis iurisdictionis, in foro contentioso Ecclesiæ, quam habent etiam illi, qui non sunt in gradu sacerdotij.

COROLLARIVM 3.

Excommunicatio in scripturis fundata: in maiorem & minorem conuenienter distributa: prouida necessitate, in militante Ecclesia exercetur.

Tribus quasi membris constat Corollarium istud, proinde singula videntur discutienda.

MEMBRVM I.

An excommunicatio sit fundata in scripturis?

RESPON. pluribus in scripturis, excommunicationis quæ in Ecclesia exercetur, fundaméta iacta conspiciuntur. Et quidem *Gen.* 3. ob præuaricationē diuini mandati, ex paradiso pulsi sunt primi parentes: suâq; inobedientiâ, regno cœlorum, omnes suos posteros fecerunt extorres; ad instar eorum, qui propter scelera & inobedientiam, per excommunicationem eijciuntur ex Ecclesia *Numer.* etiam 5. *omnis leprosus & immundus, ex castris eijci mandantur*, vt fit in excommunicatione, qua eijcitur quis ex Ecclesia. *Numer.* 16. Core, Dathan, & Abiron, tanquam excommunicati, vitantur ab omnibus. *Iosue* 7. Achan propter furtum de anathemate Iericho, excommunicatur illâ formâ, *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus, in die hac.* Iam in

nouo

nouo testamento, præter ipsa Euangelia, in scripturis Apostolicis, excommunicationis vsus indicatur. *Act.* 5. Ananias cum vxore sua Saphira, propter mendacium & fraudem, à Petro excommunicati, morte percutiuntur. Paulus quoq; frequenter malitiosis, excommunicationis gladium intentabat, nam & 1. *Cor.* 5. incœstuosum excommunicauit. Et 2. *Thess.* 3. inobedientem, vt excommunicatum vitare præcipit. *Si quis inquit, non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo.* Et 1. *Tim:* 1. Hymenæum & Alexandrum hæreticos, per excommunicationem satanæ tradidit. Et quemadmodum iam in Ecclesia seruatur, quod excommunicati nominatim, atq; denuntiati, debent vitari, ita falsos prophetas & hæreticos, tanquam excommunicatos & denunciatos, vitandos, scripturæ hortantur. *Deuter.* 13. falsus propheta seu hæreticus non audiendus. *Matth.* 17. attendendum à falsis prophetis. *Rom.* 16. Declinandum ab eis, qui dissensiones & offendicula faciunt. *Tit.* 3. hæreticum hominem, post vnam, & secundam correptionem vitandum, Et *Ioannes Epist.* 2. monet, nec aue ei dicendum. Iam ergo in scripturis, excommunicationis fundamenta, satis sunt aperta.

DICES. Dum excommunicatus quis denuntiatur, candelæ proijciuntur in terram, tintinabula pulsantur, & similia. Sed nullibi in scripturis hic actus exprimitur. Ergo excommunicationis, quæ in Ecclesia exercetur, nullibi in scripturis fundamenta iacta ostenduntur. *Resp.* etsi solemnitates istæ excommunicationis non sint palam positæ in scripturis, quibus vtitur Ecclesia in terrorem delinquentium, substantia tamen excommunicationis in scripturis expressa, negari non potest, vt ex dictis liquidò constat.

MEMBRVM II.

An sit conueniens diuisio excommunicationis, in maiorem & minorem?

RESP. Considerata excommunicatio secundum substantiam, conuenienter in maiorem & minorem diuiditur. Id iura declarant, in quibus, non obscurè hæc distributio continetur. DEINDE. In Logicis conueniens distributio totius, fit per illa membra, quæ aliquo modò differunt. Iam excommunicatio maior & minor differunt, vel secundùm maius & minus; vel vt simpliciter & secundùm quid: maior enim priuat triplici genere bonorum: videlicet Sacramentorum participatione, precum & orationum suffragijs: conuictu

D. Thom: Suppl: q. 21. art. 1. c. Alens: 4. p. q. 81. m: 2.

conuictu & conuersatione: minor verò, tantùm priuat passiua Sacramentorum participatione, & ideo dicitur excommunicatio secundùm quid, quia non habet perfectam rationem excommunicationis, sed aliquid ipsius participat. Vnde notant Doctores, quòd quandocunq; in iure nominatur simpliciter excommunicatio, maior intelligi debet, non verò minor, nisi addatur expressè. PRÆTEREA. Pro maiori culpa, rectè & secundùm exigentiam iustitiæ, maior pœna infligitur, & pro minori culpa, minor & leuior pœna taxatur, iuxta illud *Deuter. 25. Pro mensura delicti, erit & plagarum modus*, sed pœna maioris culpæ, est maior excommunicatio, minoris verò minor. Ergo rectè distribuitur in minorem & maiorem.

DICES. Per ea quæ frequentiorem vsum habent, debet potiùs fieri diuisio, quàm per illa, quæ rariùs contingunt. Sed reseruata excommunicatio & non reseruata, frequentiorem vsum habet, quàm maior & minor. Ergo per ista membra potiùs debuit fieri diuisio. *Resp.* Etsi excommunicatio, diuidatur etiam per reseruatam & non reseruatam; per latam à iure & ab homine: per iustam & iniustam: maxima tamen & celeberrima est diuisio, in maiorem & minorem. tùm quia prima est omnium; tùm quia aliæ diuisiones, conueniunt etiam cæteris censuris, hæc verò soli excommunicationi. Vel etiam, quia hæc videtur esse diuisio substantialis, aliæ quasi modales.

MEMBRVM III.

An excommunicatio sit necessaria?

D. Thom: supra art: 2. RESP. Excommunicationem esse necessariam in Ecclesia militante, multis nominibus comprobari potest. Primò quidem, quia eam CHRISTVS voluit esse in Ecclesia, ad disciplinam fidelium. Ergo valde necessaria. ANTEC: constat ex illo *Matth.* 18. vbi CRISTVS inobedientem ex

Alensis.4. p. q. 81. m.1. & 2. Ecclesia eijcere præcepit, id verò nonnisi ob disciplinam fidelium. quippe donec resipiscat. DEINDE. per quod peccatores pudore victi, excitantur ad pœnitentiam, & deflectunt à malo, in militante Ecclesia est necessarium. iam verò excommunicatio id in eis efficit, hunc enim finem intendit excommunicatio, nam & Apostolus. 1. *Cor.* 5. excommunicando incœstuosum, hunc finem intendebat, dicens, *vt spiritus eius saluus fiat, in die Domini nostri.* Et 2. *Thess.* 3. prohibet commisceri cum inobediente, vt confun-

confundatur. Et 1. *Tim.* 1. de Hymenæo & Alexandro dicit. *Quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare.* PRÆTEREA. Per quod obuiatur scandalo, & contagio spirituali ne plures inficiat, in militante Ecclesia est necessarium; nam contagia & scandala summopere vitanda sunt, inde enim ipse CHRISTVS admonebat *Luc.* 12. *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis,* Et *Matth.* 18. de oculo eruendo, manu, & pede præscindendis mandat, si scandalum faciant. per excommunicationem verò his malis obuiatur. 1. *Cor.* 5. circa excommunicationem incæstuosi Apostolus præcipit. *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? expurgate vetus fermentum.* Est igitur excommunicatio, Ecclesiæ militanti necessaria, cuius necessitas, ampliùs colligi potest ex appellationibus, in notabili 5. positis,

DICES. Nullum prohibitum in scripturis, est in Ecclesia necessarium: excommunicatio verò prohibita est in scripturis, constat id, primò quidem, quia maledictio prohibetur in scripturis. *Rom.* 12. *Benedicite, & nolite maledicere.* 1. *Cor.* 6. *Maledicti regnum Dei non possidebunt:* excommunicatio verò est maledictio, siquidem excommunicati, quasi maledicti separantur ab alijs. Deinde etiam, quia excommunicatio & malitiosa & perniciosa est, prohibetur proinde in scriptura, etiam sub illa parabola zizaniorum *Matth.* 13. *Sinite vtraq; crescere vsq; ad messem*: Nam & Christianis idem est excommunicare, quod erat olim Iudæis Synagogâ amouere: amouere autem Synagogâ malitiosum & abundè perniciosum erat apud Iudæos, quale opus erat illorum. *Ioann.* 9. qui conspirauerant, vt si quis IESVM confiteretur CHRISTVM esse, extra Synagogam fieret, Et *Ioan.* 12. ex principibus multi crediderunt in IESVM, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt ex Synagoga non eijcerentur. Et *Ioan.* 16. hanc Iudæorum malitiam, suis prædixit CHRISTVS, *Absq; Synagogis* inquit *facient vos.* Est ergo excommunicatio malitiosa & perniciosa, proindeq; in scripturis prohibita, & nullius in Ecclesia necessitatis. *Resp.* 1. maledictio dupliciter fit, vel quando maledicens sistit per intentionem in illo malo, quod irrogat, & sic illicita est maledictio: vel quando fit in bonum illius, qui maledicitur, & talis maledictio bona; nam & parentes sobolem suam amantes, aliquando maledicunt, vt tristitiâ vultûs sui à malo deterreant. & corrigant delinquentes, iuxta illud *Ecclesiast.* 7. *Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis.* Sic Ecclesia, quando maledictionem irrogat excommunicando, in bonum eius, quem excommunicat intendit. *Resp.* 2. amouere à Synagoga, aliquando bonum erat apud Iudæos, quando id fiebat

D. Thom. supra ad 1.

bat debito modo, & iusta necessitate, veluti, cùm *Num. 5. Eijciebatur ex castris leprosus & immundus*: aliquando perniciosum fuit, cùm id facerent odio, sicut credentes in CHRISTVM, extra Synagogam eijciebant. Et quoniam Ecclesia excommunicat modo debito, & iusta necessitate, ideo excommunicatio non est perniciosa, sed valde necessaria.

COROLLARIVM 2.

D. Tom: Suppl: q. 21. art. 1. c, & ad 3. Sacramentorum participatione, precum & orationum suffragijs, conuictu & conuersatione fidelium, ligatus per sententiam excommunicationis, priuatur.

Ratio totius Corollarij est, quia Ecclesiastica communio fidelium, in hoc triplici genere bonorum explicatur, de quo videri potest *D. Thom: Suppl: q. 21. art: 1. ad. 3.* Sed excommunicatio separat ab Ecclesiastica communione fidelium, priuat proinde hoc triplici bonorum genere. Vt verò singula clariùs innotescant, fit

MEMBRVM I.

An excommunicatus priuetur Sacramentorum participatione?

Emanuel Sa. V. Excommun. RESP. Indubium est, passiua Sacramentorum participatione, excommunicatum priuari, quia nullum potest recipere Sacramentum: proindeque excommunicatus, recipiens quodcunque Sacramentum, peccat mortaliter: Etenim Sacrilegium contra religionem commissum, est mortale peccatum: in præsenti casu est Sacrilegium contra religionem, irreuerentia rebus sacris, qualia sunt Sacramenta, exhibita. Et præterea est prohibitio grauis, & in materia maximi momenti, nempe Sacramentorum. Si enim liceret excommunicato Sacramenta suscipere, vix aut nullo modo posset dici excommunicatus. Et probatur: quia excommunicatio minor, quæ non habet perfectam rationem excommunicationis, sed aliquid illius participat, priuat passiua Sacramentorum participatione. Ergo potiori ratione maior, quæ simpliciter dicitur excommunicatio, & includit totum quod minor, &

plus aliquid addit. ANTEC: patet *ex Cap. Si celebret. de excom: in 6.* Vbi dicitur, quod Clericus si celebret in minori excommunicatione, peccat grauiter, quamuis non fiat irregularis. Ergo etiam quilibet Laicus, sic excommunicatus, percipiens Eucharistiam, aut aliquod ex sacramentis; par enim est vtriusque ratio; eodem modo peccat Sacerdos, qui taliter excommunicato, extra grauem necessitatem, aliquod Sacramentum administrat. hîc Cap Si celebret.

OBSERVANDVM. 1. Excommunicato occulto, non denuntiato, petenti, ministrare Sacramentum Eucharistiæ, etsi non est contra ius positiuum, quo prohibemur vitare excommunicatos, quia talis petens Sacramentum, supponitur non esse ex ijs excommunicatis, qui sunt vitandi, poterit tamen esse peccatum contra ius naturale, si cognoscatur indignus perceptione Sacramenti, quia ius naturale prohibet irreuerentiam facere rebus Sacris. Sed qui Eucharistiam. ministrat excommunicato, cognita eius indignitate, irreuerentiam infert tanto Sacramento. Hinc vetat CHRISTVS *Matth. 7. Nolite sanctum dare canibus.* Et *Apoc: 22. Foris canes, & venefici.* Ergo peccat contra ius naturale, qui excommunicato, cognita eius indignitate, ministrat Eucharistiam. ministrans tamen, non contraheret aliquam determinatam pœnam Ecclesiasticam, nec minorem excommunicationem, quæ solùm contrahitur, ex conuersatione cum excommunicatis vitandis, Bonacina Tom. 1.

DICES. Nullus excommunicatus magis est indignus perceptione Eucharistiæ, atque Iudas fuerit: Sed CHRISTVS sciens eius indignitatem, ipsi tamen ministrauit Eucharistiam, Ergo etiam sacerdos, licet cognitam habeat indignitatem excommunicati occulti, & non denuntiati, petenti tamen debet ministrare Eucharistiam. *Resp.* vel cognita est indignitas excommunicati omnibus, vel soli sacerdoti: tùm etiam; vel petit Eucharistiam priuatim, vel publicè, Si soli sacerdoti cognita est indignitas petentis Eucharistiam, & petit publicè, quamuis peccat percipiendo, sacerdos tamen non peccabit ministrando, imò debet ei ministrare, ne diffamet ipsum repellendo. Et ex hac ratione, non repulit CHRISTVS Iudam, à perceptione corporis sui, ne proderetur occulta eius malitia, & vt daret exemplum, tales peccatores occultos, ab alijs Sacerdotibus, non esse repellendos, vt docet D. *Thomas. 3. p. q. 81. art: 2. ad. 2.* Si autem indignitas petentis omnibus nota est, aut ferè omnibus, licet publicè petat, repellendus est. Aut licet soli sacerdoti sit D. Tom.

cognita

Chryſoſt: cognita indignitas, ſed ille priuatim petit, eſt denegandum: In hunc ſenſum *Chryſoſt: Homil: 83: in Math.* dicit; *Siue quis dux militiæ ſit, ſiue præfectus, ſiue princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe.*

OBSERV: 1. Validum eſſe Sacramentum abſolutionis, impenſum excommunicato denuntiato, petenti abſolutionem bona fide. RATIO. quia ſi tale Sacramentum eſſet inualidum, vel id fieret ratione formæ, vel ratione materiæ, vel ratione iurisdictionis, aut intentionis abſoluentis, Sed nihil horum dici debet, Ergo taliter impenſum Sacramentum abſolutionis, eſt validum. ASSVMPTVM. per ſingula oſtenditur. Et primò quidem; non eſt inualidum ratione alicuius defectus in materia, quia vt ſupponitur, pœnitens bona fide confitetur, de omnibus peccatis ſuis, cum eâ, quæ requiritur, contritione: non eſt inualidum ex defectu aliquo formæ abſolutionis, & intentionis abſoluentis, quia etiam ſupponitur pro certo, abſoluentem habere, ſicut formam, ita intentionem abſoluendi; non denique inualidum eſt, ob defectū aliquem iuriſdictionis quia hæc non eſt ablata ſacerdoti, bona fide abſoluenti: aliàs pœna iſta, non tam eſſet excommunicati, quàm potius alterius innocentis, ſcilicet ſacerdotis, qui bona fide formam abſolutionis protulit.

Suar: diſp: 31. Sect: 2. Bonacina.

DICES. Qui priuatur paſſiua Sacramentorum participatione, Sacramentum abſolutionis validè recipere non poteſt. Sed excommunicatus priuatur paſſiua Sacramentorum participatione, non ergo poteſt validè Sacramentum abſolutionis (etiam bona fide petens) recipere, *Reſp.* priuatur excommunicatus, paſſiua Sacramentorum participatione i. prohibetur ne accedat, ſi tamen bona fide acceſſerit, Sacramentum, cum nihil deeſſet in ſubſtantia, nec in materia, nec in forma, nec in intentione aut iurisdictione, non debet inualidari: Idem dicendum de alijs Sacramentis, vt Confirmationis, Ordinis, Matrimonij, & extremæ Vnctionis, quæ ſuſcepta etiam mala fide ab excommunicato, ſunt tamen valida quoad ſubſtantiam, niſi quod ſuſcipiens Ordines in maiore excommunicatione, irregularis efficitur, ſuſcipiens tamen alia Sacramenta in excommunicatione, nullam cenſuram incurrit aut irregularitatem. Eſt hoc ſpeciale Sacramento Ordinis; & ratio eſt, quia per illud conſtituitur quis miniſter Eccleſiæ, vt ſit pro Eccleſia, qui autem hoc modo abutitur hoc Sacramento, magis videtur eſſe contumax contra Eccleſiam, proindeque ſpeciali modo pœna pro eo decreta eſt.

INSTABIS. Sacramentum extremæ vnctionis nullum eſt collatum excom-

excommunicato, aut in mortali malâ fide recipienti, non debet prædictis annumerari. *ANTEC.* Sacramentum nullum est, cui deest aliquid, ad ipsum intrinsecè requisitum. Sed Sacramento extremæ Vnctionis, suscepto ab excommunicato, aut malâ fide, & in mortali peccato, deest aliquid ad ipsum intrinsecè requisitum, Ergo nullum est. MIN. Ad Sacramentum extremæ Vnctionis, intrinsecè requiritur bona & debita dispositio, Sed in excommunicato, aut malâ fide, & in mortali peccato recipiente, non est bona & debita dispositio. Ergo deest aliquid, quod ad Sacramentum intrinsecè requiritur MAI: deducitur: quia ad Sacramentum pœnitentiæ, intrinsecè requiritur bona & debita dispositio eius, qui illud recipit. Sed Sacramentum extremæ Vnctionis, est complementum Sacramenti pœnitentiæ, quia ordinatur ad delendas reliquias peccatorum, post pœnitentiæ Sacramentum manentium. Ergo etiam ad hoc requiritur intrinsecè bona & debita dispositio. *Resp.* bona dispositio, suscipientis Sacramentum extremæ vnctionis, non est ita intrinseca Sacramento, vt ingrediatur substantiam eius, quia neque ad materiam ipsius pertinet, sed tantùm requiritur ad effectum Sacramenti, scilicet gratiæ collationem. Quamuis indignè suscipiatur Sacramentum extremæ Vnctionis, & sine effectu gratiæ, erit tamen validum in sua substantia quin etiam docet Suarez *disp.* 41. *Sect:* 1. *n.* 23. informe susceptum Sacramentum extremæ Vnctionis, habere effectum, recedente fictione, per contritionem, vel attritionem. Suarez.

OBSERV. 3. Maiorem excommunicationem, priuare etiam actiuâ Sacramentorum participatione, atque adeo, quòd excommunicatus peccat mortaliter, & Sacrilegium committit, administrando Sacramenta, efficiaturque irregularis, etiam toleratus, Sacramenta tamen collata ab excommunicato, etiam denuntiato, sunt valida quoad substantiam, præter Sacramentum Pœnitentiæ, quod collatum ab excommunicato vitando illicitum est, & inualidum, exceptâ necessitate extremâ; nam ad validitatem absolutionis, requiritur iurisdictio; de quo etiam videri potest Concil: Trid. *Sess:* 14. *cap.* 7. talis verò excommunicatus, caret iurisdictione, proinde validè absoluere non potest. De Sacramento extremæ Vnctionis & Matrimonij, aliqui pariunt difficultatem; sed reuera extrema Vnctio, validè & licitè (si desit alius) confertur quoad substantiam à quouis excommunicato: nam ad validam collationem huius Sacramenti, sufficit potestas ordinis, quam Ecclesia non potest auferre per cen- Concil. Trid.

 suras

ſuras. Similiter & Matrimonium validum eſt, cui aſſiſtit Parochus excommunicatus, ſiquidem non Parochus eſt miniſter huius Sacramenti, ſed ipſimet contrahentes.

Emmanuel Sa. V. Sacramentú.

QVÆSIERIS. Si liceat in extrema neceſſitate Euchariſtiam accipere ab excommunicato? *Reſp.* licet à quouis excommunicato, etiam hæretico, qui aliquando ritè ordinatus fuit in ſacerdotem, ſi nullus alius inuenitur, & poteſt id fieri ſine ſcandalo, & periculo ſubuerſionis. Nam valde probabile eſt, neceſſarium eſſe diuino præcepto, in fine vitæ Euchariſtiam ſumere, quod ſatis probat pia fidelium conſuetudo, eam per modum viatici ſumentium, verbaque CHRISTI obligantis *Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

D. Gregor.

DICES. Quod in Sanctis laudabile oſtenditur, nobis tenendum & imitandum proponitur. Sed D. Gregorius. *lib. 3. Dialog. cap: 31.* laudat Martyrem Hermenegildum, qui Euchariſtiam de ſacrilegâ manu Epiſcopi Arriani ſumere detrectauit. Ergo id ſemper tenendum, ne ab hæretico, etiam in extremâ neceſſitate Euchariſtia accipiatur. *Reſp.* omnino ita ſe gerere debuit Hermenegildus in illo caſu, propter ſcandalum, ne videretur ſignificare, ſe Arrianum eſſe, voluit enim perfidus eius pater vt per Epiſcopum Arrianum communicaret, quatenus eo facto declararet, ſe in errorem Arrianorum conſentire.

Emanuel Sa. V. Ex. commun.

OBSERV: 4. Excommunicatum non denuntiatum neque vitandum, cùm rogatur, poſſe licitè adminiſtrare Sacramenta, & Miſſam celebrare. *RATIO.* quia; quod fideles poſſunt licitè petere ab excommunicato ſacerdote, id ille poteſt licitè præſtare petentibus. ſed poſſunt fideles licitè à ſacerdote excommunicato non vitando, petere Sacramenta. Ergo & ille poteſt licitè adminiſtrare, aliàs non poſſent fideles licitè poſtulare, & eum ad rem illicitam inducere. Conſtat id, ex Extrauag: Martini V. quæ incipit *Ad euitandum:* quod quidem priuilegium Pontificis, non excommunicatis, ſed fidelibus in fauorem eſt conceſſum.

Martinus. V.

DICES. Excommunicati etiam vitandi, in caſu neceſſitatis, licitè poſſunt Sacramenta adminiſtrare, Ergo quoad hoc, nulla eſt differentia, inter excommunicatos vitandos, & non vitandos, *Reſp.* manifeſta & euidens eſt differentia; nam vitandi non poſſunt Sacramenta miniſtrare, niſi in caſu extremæ neceſſitatis, & vbi nullus alius haberi poteſt, at verò non vitandi, poſſunt adhiberi ad Sacramenta miniſtranda, etiamſi non eſt tam grauis neceſſitas.

MEM-

MEMBRVM II.

An excommunicatio priuet suffragijs?

RESP. Omnis excommunicatus maiori excommunicatione, tàm tolератus quàm vitandus, priuatur communibus & publicis Ecclesiæ suffragijs. Liquet assertum ex Cap. *A nobis*, & Cap: *Sacris. de Sent: excom:* in quibus prohibentur ministri Ecclesiæ, ne pro talibus sacrificia offerant, quæ prohibitio cùm sit de re graui, obligat ex suo genere sub mortali. Cap. A nobis. Cap. Sacris.

DEINDE. Nomine suffragiorum, intelliguntur quædam adiumenta spiritualia, quibus Ecclesiæ membra inuicem iuuantur: siue quoad satisfactionem, pro pœna temporali; siue quoad meritum de congruo, siue quoad impetrationem aliquorum beneficiorum, præsertim spiritualium. Sed his spiritualibus adiumentis priuantur excommunicati maiori excommunicatione. priuantur proinde communibus & publicis Ecclesiæ suffragijs. ASSVMPTVM declarari potest, quia huiusmodi adiumenta præbentur per Sacrificia, orationes, indulgentias, & alia pia opera. Sed iam pro excommunicatis, non licet offerre Sacrificium, vt ex dictis Cap: constat, nec item indulgentiarum possunt esse particeps, quæ de communi thesauro Ecclesiæ conceduntur, vt infra dicetur, & ipsi sunt extra Ecclesiam. Ergo excommunicati priuantur dictis adiumentis spiritualibus. De Sent: excomm.

DIXERIS. Ille Suffragijs iuuandus est, de quo non est desperandum. Sed de nullo excommunicato, quamdiu viuit, est desperandum. Ergo excommunicati non debent priuari communibus Ecclesiæ suffragijs. *Resp.* priuatâ authoritate potest aliquis, vt singularis persona, aliquod suffragium, pro excommunicato ad DEVM dirigere: authoritate verò publica, & nomine totius Ecclesiæ, cuius ille qui sic orat, aut dirigit suffragia, personam repræsentat, non potest citra peccatum. Vnde & Sacerdos in Missa, tanquàm persona priuata & particularis, potest orare pro excommunicato, modò non faciat ex persona Ecclesiæ, vt est Sacerdos. Itaq; in duobus casibus peccat orans pro excommunicato. Vno casu, quando orat ex persona Ecclesiæ tanquam minister eius, seu Sacerdos quatenus Sacerdos, hæc est enim oratiò publica. Altero casu, quando orat, connumerando ipsum inter membra Ecclesiæ, quando ita pro illo orat in particulari, sicut facere consueuit pro alijs fidelibus non excommunicatis.

INSTABIS. Hæretici & Schismatici sunt excommunicati: sed pro illis

publica fiunt ſuffragia, nam in Miſſali ordinatur Miſſa ad tollendum ſchiſma, & alibi Miſſæ pro hæreticorum conuerſione indicuntur. Ergo etiam publicè & ex perſona Eccleſiæ, licet orare pro excommunicatis. *Reſp.* Miſſam offerri pro excomunicatis, hæreticis & ſchiſmaticis, intelligi poteſt dupliciter; directè & indirectè. Directè ſi nominetur perſona, & in eo ſiſtat expreſſa intentio offerentis. Indirectè, quando intentio offerentis, ad aliquid aliud principaliter dirigitur. Igitur dùm Miſſa ordinatut ad tollendum ſchiſma, & pro conuerſione hæreticorum, non offertur pro eis directè Sacrificium, ſed directè pro Eccleſiæ pace & tranquillitate, pro augmēto fidei & dilatatione: quæ quia non poſſunt contingere ſine infidelium conuerſione, ideo indirectè pro illis offertur Sacrificium, qua ratione licitum eſt pro eis offerre, imò quotidie Sacerdos, in oblatione calicis, quando offert pro ſalute totius mundi, etiam aliquomodo, videlicet indirectè, pro excommunicatis. Quin etiam, licet Sacerdoti directa intentione, commendare Deo excommunicatum, in ea parte Miſſæ, in qua mentaliter tantùm orat, vt in *Memento*.

Bellarm: lib: 6. de Euchariſt. cap. 6. Tom: 2.

Emmanuel Sa. V. Excommun:

OBSERV: I. Dubitari ab aliquibus, num licitum ſit, communia Eccleſiæ ſuffragia, offerre pro excommunicato contrito, qui petit abſolui, ſed nondum eſt abſolutus? *Reſpondendum eſt*, non licere directâ intentione. Extat clarum ius, hac de re, *Cap. A nobis*, vbi Pontifex interrogatus, vtrum pro excommunicato, qui mortuus fuerat cum ſignis pœnitentiæ, & deſiderio abſolutionis, ſed tamen abſolutus non fuit, liceat orare? reſpondit, *quandoquidem ita benè diſpoſitus mortuus eſt, curetur vt poſt mortem abſoluatur à cenſurâ, & tunc pro ipſo oretur, non antea.* Quòd ſi pro homine defuncto, in tanto rigore decernitur, vt pro eius animâ, ante abſolutionem defuncti non oretur, quid pro viuente excommunicato? Deinde. Effectus formalis excommunicationis, non tollitur, niſi ſublatâ formâ. i. ipſa excommunicatione per abſolutionem. Sed priuare huiuſmodi ſuffragijs, eſt effectus formalis excommunicationis. Ergo non poteſt tolli, niſi ſublata excommunicatione per abſolutionem. Ergo tam diu non poteſt eſſe particeps ſuffragiorum communium Eccleſiæ, quia excommunicatio ſemper ſuum habet effectum, donec ablata fuerit.

Cap. A nobis.

OBIIC: Si non liceret pro illo offerre communia ſuffragia, hoc ideo, quia Eccleſia vellet illum priuare hoc ſpirituali commodo. Sed non eſt veri-ſimile, velle Eccleſiā, priuare tanto bono ſpirituali hominem contritum, & pro ſua parte pœnitentem, per quem non ſtat, quòd non abſoluatur.

Ergo,

Ergo licet pro illo orare, & alia suffragia offerre. *Resp. negan. Min.* quæ nullo fundamento nititur, sola præsumptione, quòd Ecclesia nolit tales priuare communibus suffragijs.

INSTABIS. Sublatâ causâ tollitur effectus: sed per contritionem tollitur peccatum, propter quod censura fuit irrogata. Ergo tollitur ipsa censura, licebitq; pro contrito offerre suffragia communia. *Resp.* remissâ culpâ, sæpè manet pœna soluenda, vt infra patebit, pœna verò hæc excommunicationis, publicè & iuridicè lata est, proinde nonnisi per iudicium Ecclesiæ tolli potest. Quòd verò dicitur, sublatâ causâ tolli effectum, verum est, de omni genere causarum, si considerentur secundùm relationem, quam habent ad suos effectus. Si verò spectentur secundùm rem, equidem verum est, de causis internis rem componentibus, materiâ scilicet & formâ, non semper autem de efficiente: de finali etiam verum, quando est verè causa finalis, non verò quando impulsiua tantùm. Iam culpa est causa impulsiua & meritoria excommunicationis.

QVÆSIERIS. Sitne valida & licita Missa, pro excommunicato oblata, nondum absoluto? *Resp.* 1, Sacerdos offerens Missam nomine totius Ecclesiæ pro excommunicato, nec licitè, nec validè facit. Ostendi potest hac similitudine: quia; sicut Oeconomus, contra voluntatem Domini sui dispensans Eleemosynas, infideliter agit, & eius donatio non transfert Dominium, Ergo & sacerdos, cùm sit prohibitus offerre pro tali excommunicato communia Ecclesiæ suffragia, infideliter agit, & inualidè ex hoc capite suffragia Ecclesiæ dispensat. Restrictiuè dico, *Ex hoc capite*, quia Missæ sacrificium habet suum quendam specialem valorem impetratorium, quatenus offertur nomine totius Ecclesiæ, quandoquidem illam DEVS diligit specialiter, & consequenter, quæ ab illa, mediantibus eius ministris ei offeruntur, specialiter habet accepta & valida, maximè verò hoc Sacrificium, de quo etiam allegoria *Malach.* 3. *Placebit Domino Sacrificium Iuda & Ierusalem. i.* Christi & Ecclesiæ. Totus autem hic valor perit, si Missa offeratur pro excommunicato à censura nondum absoluto, propterea, quia non est intentio Ecclesiæ, vt suas intercessiones illi communicet. *Resp.* 2. Sacrificium Missæ in persona Christi oblatum illicitè quidem, validè tamen pro excommunicato offertur, tùm quoad impetrationem, tùm quoad Satisfactionem: de hoc videri potest Bonacina *Tom:* 1. Illicitè, quia offerens peccat grauiter, contra obedientiam Ecclesiæ. Validè autem, quia is pro quo offer- Bonacina.

 tur,

tur, si per contritionem Deo reconciliatus fuerit obtinebit bonum effectum. *Ratio est*, quia hoc Sacrificium, vt est à Christo institutum, habet quasi generaliter, quòd sit satisfactorium pro eo, pro quo offertur. Ergo nisi inueniat obicem peccati, operabitur effectum suum. veluti, si idem sacerdos sciens, talem excommunicatum, contra prohibitionem Ecclesiæ vellet communicare, porrigendo ipsi hostiam consecratam, peccaret quidem sacerdos, ille tamen qui accipit, si bona fide, & bonâ conscientiâ accipit, gratiam Sacramentalem consequitur. proinde hic

Bellarm: loco supra citato. OBSERV: 2. Sacrificium Missæ, ex natura rei, si nulla sit prohibitio Ecclesiæ, licitè offerri posse, pro hominibus viuis extra Ecclesiam existentibus, vt pro hæreticis, schismaticis, & cæteris infidelibus, etiam directè, tùm quia sacrificium Crucis, pro omnibus fuit oblatum; potest igitur & Missa offerri, quæ idem est cum sacrificio Crucis, quantùm ad hostiam. tùm etiam, quia in primitiua Ecclesia offerebatur pro Principibus & Regibus, qui erant infideles: ait enim Apostolus. 1. *Tim*: 2. *Obsecro fieri orationes & postulationes pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt:* quod à Sanctis Patribus de orationibus quæ in Missa fiunt, exponitur. tùm denique quia 2. *Machab*. 3. pro salute Heliodoris gentilis Onias Summus Sacerdos obtulit hostiam salutarem. Licet ergo absolutè, offerre sacrificium pro ijs qui sunt extra Ecclesiam, vbi non obuiat prohibitio Ecclesiæ. *Resp*. 3. sacrificium Missæ in

D. Thom. persona propria pro excommunicato oblatum, per se loquendo, validum est & licitum, quia Ecclesia non prohibet, vt priuatim pro excommunicato non oretur, & alia bona fiant, sed vt non fiant publicè, & communibus suffragijs, scilicet in facie Ecclesiæ.

DICES. Ille priuatur communibus Ecclesiæ suffragijs, pro quo non licet publicè orare, sicut pro dæmonibus & damnatis non licet vllo modo orare. Sed pro excõmunicatis licet publicè orare. Ergo non priuatur communibus Ecclesiæ suffragijs, Min. Quod facit Ecclesia, illud licitùm est. Sed pro excõmunicatis publicè orat Ecclesia in die parasceues, pro hæreticis, Iudæis, Paganis, Schismaticis. Ergo pro illis publicè orare licet. *Resp*. orat Eclesia pro hæreticis, &c. non sicut pro membris suis, nec connumerãdo eos fidelibus, sed vt connumerentur. vt eis detur spiritus pœnitentiæ, vt

D. Thom ab excommunicatione soluatur, ait D. Thom: *Suppl. q*. 21. *art*: 1. *ad*. 1. vel cèrte, orat eo tempore Ecclesia, pro hæreticis & schismaticis, non vt excõ-

Sotus. municati sunt, quia pro illo tempore suspẽdit cẽsuram excommunicationis, vt notat Sotus *in* 4. *dist*. 11.

MEM-

MEMBRVM III.

An excommunicatio priuet conuictu?

RESP. Excommunicatus vitandus, priuatur conuictu & conuersatione cum fidelibus. Etenim conuictus & conuersatio fidelium, tam in spiritualibus seu diuinis, quàm corporalibus seu humanis consideratur. Sed excommunicatus priuatur participatione diuinorum & humanorum. Ergo conuictu & conuersatione cum fidelibus priuatur, ASSVMPTVM *quoad primam partem manifestum.* Priuatur quidem excommunicatus participatione diuinorum, scilicet officiorum, quia non licet ei orare cum fidelibus, nec Missam audire, siue sit vitandus, siue non vitandus, peccatique reus efficitur. Vnde si excommunicatus vitandus non potest expelli, debent alij fideles recedere, ne incurrant minorem excommunicationem, propter participationem cum excommunicato vitando. Sacerdos etiam, si non inchoauit Canonem, seu ante consecrationem, debet ab inchoata Missa desistere. aliâs prosequatur ad sumptionem Calicis, ne sacrificium essentialiter imperfectum relinquatur, contra ius diuinum, reliquum Missæ priuatim in sacristia complebit. Horis item canonicis, quæ publicè in Ecclesia decantantur, non potest interesse excommunicatus, orationi publicæ, benedictionibus Chrismatis, aquæ lustralis, oliuarum, candelarum, & aliarum rerum, quæ fieri solent in Ecclesia, cum aliquâ ceremoniâ, præsupponente in ministro potestatem seu characterem alicuius ordinis, saltem minoris. Hoc tamen ANNOTAND: quòd excommnicatus quiuis, etiam vitandus, possit interesse sacræ concioni, ita quòd fideles alij non teneantur eum vitare, sicut statuitur in Concil. Carthag. 4. *cap.* 84, vt Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum DEI, siue gentilem, siue Iudæum, siue hæreticum. *Ratio est*, quia audire concionem, multùm conferre potest ad eum finem, propter quem fertur excommunicatio, videlicet ad resipiscentiam & pœnitentiam excommunicati. Concil. Carthag.

DICES. Si excommunicatus licitè potest interesse sacræ concioni in Ecclesia, nec opus est eum vitare. Ergo etiam poterit interesse lectioni Theologiæ, interpretationi scripturæ & casuum conscientiæ, nec oportebit, vt vitent eum condiscipuli. Sed consequens importunum. Ergo & antecedens. Non ergo licebit excommunicato vitando interesse conci-

conci-

concioni cum fidelibus. *Resp.* negan: sequelam Maioris. dispar enim est ratio concionis & lectionum: nam lectio scholastica, non ita est ordinata ad corrigendum affectum, sicut est concio, sed magis ad instruendum intellectum.

QVÆSIERIS. Num teneatur Clericus excommunicatus recitare horas Canonicas? *Resp.* Equidem maiori excommunicatione irretitus, publicè in choro, non potest licitè recitare horas Canonicas, quod si etiam solemniter faciat, indutus albâ, stolâ, & pluuiali, vt moris est in festis inchoare diuinum officium, irregularis efficitur: priuatim tamen, qui libet recitare tenetur. *Ratio est*: quia excommunicatio non irrogat pro leuamine, sed pro onere & pœnâ. esset autem pro leuamine, si excommunicatum ab officio recitando subleuaret, imò ex sua contumatia fructum reportaret, contra intentionem Ecclesiæ. Illud tamen cauendum est Sacerdoti aut Diacono excommunicato, ne in officio dicat *Dominus vobiscum*, sed loco eius; *Domine exaudi orationem meam*. Quod si fecerit ex contemptu, seu contumaciâ, quæ vsque ad peccatum mortale perueniret, incurreret irregularitatem. Bonacina.

NOT: Potest excommunicatus ingredi Ecclesiam, quando officia diuina non celebrantur, vt priuatum cultum Deo exhibeat; potest etiam vti aquâ benedictâ, non vt per eam consequatur aliquod suffragium Ecclesiæ, quia incapax est: sed vt hâc ratione, maiorem in se excitet deuotionem & contritionem.

IAM quoad secundam partem, illud Assumptum ostenditur: nempe; excommunicatum priuari participatione corporalium seu humanorum cum fidelibus iuxta illum versiculum.

Si pro delictis, anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per *Os*, intelligendo allocutionem, quæ excommunicato vitando exhiberi prohibetur, *Rom*: 19. *Declinate ab illis*. Per *Orare*, participatio in diuinis intelligitur, ne oretur cum excommunicato, publicâ oratione, quæ fit Ecclesiæ nomine. Per *Vale* intelliguntur salutationes, quæ non debent præstari excommunicatis. Ioannes etiam *Epistola* 2. dicit. *Nec aue ei dixeritis*. Per *Communionem* intelligitur; tùm ne in Sacramentis cum excommunicato communicetur, vt exponit D. Thomas: tùm ne societas, aut cohabitatio cum ipso suscipiatur. 1. *Cor*. 5. *Ne commisceamini fornicariis*. 2. *Thess*: 3. *Ne commisceamini cum illo, vt confundatur*. Per *Mensam* D. Thom:

sam, intelligitur conuictus cibo & potu. 1. *cor.* 5. *Cum huiusmodi, nec cibum sumere.*

DICES. Non potest se vlteriùs extendere excommunicatio, quàm potestas clauium, si quidem est actus huius potestatis, vt probatum manet in Conclusione. Sed potestas clauium, tantùm se extendit ad spiritualia, si quidem claues dicuntur esse regni cœlestis. Ergo etiam excommunicatio, tantùm se extendit ad spiritualia. Ergo non potest prohibere, ne vnus alteri communicet in corporalibus. *Resp. disting. Assumptum.* extendit se potestas clauium ad spiritualia tantùm directè, iam verò per consecutionem etiam ad corporalia, quatenus hæc ordinantur ad illa.

Oppositio contra Corollarium.

Non omnibus istis priuatur excommunicatus. Ergo Corollarium falsum continet. ANTEC. Qui participat cum excommunicato denuntiato, incurrit excommunicationem. Sed hic non priuatur isto triplici genere bonorum: potest enim cum alijs fidelibus conuersari, absq; peccato, & absq; alia excommunicatione: potest diuinis interesse officijs, potest frui suffragijs, potest alios absoluere tàm à censuris, quàm à peccatis, & alios actus iurisdictionis exercere. Ergo ligatus per sententiam excommunicationis, non omnibus his priuatur, quæ in Corollario continentur. scilicet Sacramentorum participatione, orationum suffragijs, nec conuictu & conuersatione. *Resp.* qui participat cum excommunicato vitando, modo non à Papa nominatim denuntiato, nec sit particeps criminis, ob quod excommunicatus est, minorem tantùm incurrit excommunicationem, quæ non priuat communibus suffragijs, nec conuictu & conuersatione cum fidelibus, sed tantùm participatione Sacramentorum, eáq; solum passiuâ, directè, maior autem excommunicatio, priuat omnibus prædictis, de qua Corollarium intelligendum.

COROLLARIVM 3.

Vitandum excommunicatum diuinis se officijs ingerentem grauiter peccare: communicantesq; cum eo, & peccati & excommunicationis vinculo ligatos, Ecclesiæ Decreta conuincunt. In decret: 11 q. 3. cap. 16.17. 18. 19. 24. 99.107.

Breuitati studendo. Corollarium per membra expendetur. Itaq; sit.

MEMBRVM I.

An excommunicatus vitandus, diuinis se ingerens Officijs, peccet?

Bonacina. RESP. peccat grauiter. Etenim qui facit contra obligationem in re graui, peccat grauiter; Excommunicatus verò vitandus, diuinis se ingerens officijs, veluti auditioni Missæ, & alijs quæ publicè in Ecclesia celebrantur, facit contra obligationem in re graui. Ergo grauiter peccat, peccatumq; mortale ex suo genere committit, faciens contra obligationem censuræ. DEINDE. Grauius peccat excommunicatus vitandus, ingerens se diuinis officijs, quàm excommunicatus toleratus, conuersans cum fidelibus, in corporalibus. Sed excommunicatus toleratus, conuersans in corporalibus, cum alijs fidelibus, peccat venialiter: Nam peccatum veniale est factum, vel dictum præter legem. Excommunicatus verò toleratus, communicans in corporalibus facit præter legem Ecclesiæ. Ergo excommunicatus vitandus, ingerens se diuinis officijs, grauiùs peccat, scilicet mortaliter. (D. Thom: 1.2.q.88. art.1. ad.1.)

D.Thom. PRÆTEREA. Formaliter contemptus legis est peccatum mortale, vt videre est apud D. Thomam *2. 2. q. 186. art. 9. ad. 3.* Sed excommunicatus vitandus, ingerens se diuinis officijs, præsumitur contemnere legem Ecclesiæ de Censura. Ergo peccat mortaliter.

DICES. Nemo peccat, vitando peccatum. Sed excommunicatus audiens Missam die festo, hoc ipso vitat peccatum omissionis audiendæ Missæ. Ergo dùm audit Missam, die festo excommunicatus, non peccat. *Resp.* excommunicatus, audiens Missam, etiam die festo, peccat, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ; non audiens similiter peccat, si per ipsum stat, quòd non absoluatur; si verò curat pro sua parte vt absoluatur, sed non potest obtinere, tunc non peccat non audiendo, neq; tunc tenetur euitare omissione auditionis.

MEMBRVM II.

An peccet communicans cum excommunicato vitando?

D. Thom. Supp. q. 23. art. 1. Alex. 4. RESP. Liquidò constat, peccare eum, qui cum excommunicato vitando communicat. Etenim quod committitur contra regulas legis est peccatum. Sed communicare cum excommunicato vitando, est contra regulas

gulas

gulas legis Ecclesiasticæ, quæ prohibet, ne communicetur cum excommunicato. Ergo est peccatum. DEINDE. Nemo iustè excommunicatur nisi propter peccatum. Sed propter communicationem cum excommunicato vitando, incurritur excommunicatio. Ergo talis communicatio est peccatum. 4.p.q.81. m.6.art.2. 11q.3.cap. 40.Nemo

NOT. Participare cum excommunicato in crimine, vel in diuinis, & in contemptum Ecclesiæ, est peccatum ex suo genere mortale. ita D. Thom. *Suppl. q. 23. art. 3.* & probatur hoc in quatuor prioribus argumentis. Nam facere extra id, quod directè Ecclesia præcepit, est peccatum mortale, vt infra dicetur de legibus. Sed qui communicat excommunicato, in diuinis, seu spiritualibus, facit contra id, quod directè Ecclesia prohibet; Ecclesiæ enim præceptum, directè respicit spiritualia. Ergo qui in istis communicat excommunicato, peccat mortaliter. In humanis autem seu temporalibus participare, veniale est, idem S. Doctor ait. *Ratio est* quia etsi leges humanæ, possũt obligare sub reatu mortalis peccati, tamen in leui materia non obligant, nisi sub veniali. Communicatio autem in temporalibus est satis leuis materia. Ergo non obligat sub tanto grauamine conscientiæ. Et constat ASSVMPTVM. quia non tantùm est leuis, verùm etiam frequens & vulgaris, vnde non est credibile, voluisse Ecclesiam obligare fideles, tam graui onere, in re tam leui, & vulgaris frequentiæ. Ait etiam S. Doctor in corpore articuli, *Videtur hoc valde graue, quòd homo pro vno verbo leui, quo excommunicatum alloquitur mortaliter peccet: & multis excommunicantes laqueum damnationis inijcerent, quod in eos retorqueretur.* Verùm licet huiusmodi participatio in humanis seu ciuilibus, cum excommunicatio non sit communiter ex suo genere peccatum, nisi veniale, tamen in indiuiduo, seu particulari casu, potest esse peccatum mortale, si quis participaret in contemptum censuræ Ecclesiasticæ, & si haberet in animo non semel, sed frequentiùs se ingerere tali excommunicationi. D. Thom:

DICES. Facere id, quod pro charitate militat, non est peccatum. Sed communicare cum excommunicatis, quibusuis, pro charitate militat. Ergo non est peccatum. ASSVMPTVM *patet*, quia, benefacere excommunicatis pro charitate militat, nam & de inimicis diligendis, præceptum Domini est, *Matth. 5 Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos*, Atqui benefacere eis, non potest quis, nisi eis communicet in corporalibus. Ergo communicare excommunicatis, pro charitate militat

litat. *Resp.* quibus incumbit ex præcepto charitatis, vt benefaciant excommunicatis, non peccant, si communicent in corporalibvs iuxta illum versiculum.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Per *Vtile*, intelligitur vtilitas, tàm spiritualis, quàm temporalis, participantis cum excommunicato, aut ipsius excommunicati; itaq; licebit medicinam sumere ab excommunicato medico; licebit excommunicato dare consilium bonum, hortari ad resipiscentiam; ducere ad concionem; mouere ad contritionem. Per *legem*, intelligitur matrimonium, de qua lege Apost: Rom: 7. *Mulier viuente viro, alligata est legi*; potest enim vxor viro excommunicato, omnia præstare, quæ sibi iure Matrimonij debentur, imò tenetur vxor viro communicare, quæ ad vitam coniugalem spectant. Per *Humile*, intelligitur subiectio, vt filiorum, seruorum, & subditorum, nam filij possunt communicare cum parentibus, auo, proauo, abauo, cum nouerca, socero, & è conuerso: item possunt serui cum dominis, & inferiores cum suis superioribus excommunicatis conuersari. Per *Necesse*, intelligitur grauis necessitas tua, vel excommunicati, nam licet in necessitate positum excommunicatum iuuare eleemosyna; & necessitatem habens, potest recipere ab excommunicato, quæ sunt necessaria ad vitam traducendam. Per *Rem* deniq; *ignoratam*. intelligitur ignorantia inuincibilis, si nescias excommunicatum vel denuntiatum. Hic,

NOT: obiter, multifariam diuidi solere ignorantiam. Est enim ignorantia prauæ dispositionis, negationis, & priuationis. Ignorantia prauæ dispositionis est in eo, qui non solùm ignorat veritatem, sed etiam habet errorem contrarium illi veritati, talis est in hæreticis. Ignorantia negationis, est eorum, quâ quis scire non potest, qualis est in infantibus, qui ob defectum vsus rationis, ignorant ea, quæ aguntur. talem ignorantiam, etiam in Angelis & Beatis esse, in comparatione ad Devm, ostendit D. *Thom*, 1. *p.* *q.* 12, *art.* 4. *ad* 2. dùm scilicet non habent illam excellentem scientiam, quæ in solo Deo est. Ignorantia priuationis, est eorum, quâ quis aptus natus est scire, quia potest ea scire & tenetur, non tamen curat scire. hanc peccatum esse, propter negligentiam, ait D. *Thom:* 1. 2. *q.* 76. *art*, 2. *c.* Sed hæc bifariam distinguitur, vt sit alia ignorantia iuris, alia facti. Iuris est, quando ius aliquod ignoratur, vt si quis legat librum hæreticum, nesciens ius prohibens eam lectionem sub

D. Thom.

D. Thom.

excom-

excommunicatione. Facti est, quando quis, scit quidem lectionem librorum hæreticorum esse vetitam iure Ecclesiastico, librum autem quem legit, ignorat esse hæreticum. Vtraq; hæc ignorantia, vel est vincibilis, vel inuincibilis. Inuincibilis est, quæ studio & diligentiâ superari non potest, quia adhibuit aliquis diligentiam, quam debuit ad aliquid sciendum, non tamen scire potest. Vincibilis est, quæ potest superari diligentiâ adhibitâ. Hæc rursum duplex est, affectata & crassa. Affectata ignorantia, directè & per se voluntaria dicitur, vt est apud D. Thom: 1. 2. *q.* 76. *art.* 4. vt cúm aliquis sua sponte nescit aliquid, vel, vt excusationem peccati habeat, vt illi Iob. 34. Qui quasi de industria recesserunt à Deo, & omnes vias eius intelligere noluerunt; vel vt non retrahatur à peccando, vt liberiùs mala operetur, vt illi Iob. 21. qui dixerunt Deo recede à nobis. & ; Scientiam viarum tuarum nolumus. Et ille Ps. 35. *qui noluit, intelligere vt benè ageret:* noluit aliquis ire ad concionem, ne sibi scrupuli inijcerentur, de restituendis iniustè & mala fide retentis, talis ignorantia, ait Doctor Angelicus, auget voluntarium & peccatum, ex intentione enim voluntatis, ad peccandum prouenit, quòd aliquis vult subire ignorantiæ damnum, propter libertatem peccandi. Crassa ignorantia, indirectè & per accidens voluntaria dicitur, quando aliquis non vult laborare ex desidia in studio, ex quo sequitur ipsum esse ignorantem, in ijs rebus, quas scire debebat; hæc diminuit voluntarium, & per consequens peccatum. Denique ignorantia trifariam diuiditur apud D. Thom 1. 2. *q.* 6. *art.* 8. vt sit alia Concomitans, alia Consequens: atque alia Antecedens. Ignorantia concomitans est de eo quod agitur, tamen etiamsi sciretur, nihilominus ageretur, hæc enim ignorantia, non inducit ad agendum, sed accidit simul, esse actum & ignoratum, vt si quis paratus occidere inimicum, egreditur venatum, putans feram esse, occidit illum inimicum, ignorans illum esse, quem nihilominus occidisset libentiùs, si sciuisset illum esse; talis ignorantia non facit inuoluntarium, quia non causat aliquid quod sit contrarium voluntati, sed facit tantùm non voluntarium, ex quo ignoratum, actu volitum esse non potest. Ignorantia consequens est, quæ consequitur ex aliquo actu hominis volito, vt, si quis ebrius peccatum committit, hic peccat per ignorantiam, consequentem ebrietatem. Et hæc ignorantia, voluntaria esse dicitur dupliciter, vel quia actus voluntatis fertur in ignorantiam, sicut de affectata dictum est, vel quia negligitur haberi cognitio

D. Thom.

D. Thom.

tio & ſcientia, ſicut de craſſa ignorantia conſtat. Ignorantia antecedens eſt, quam ſi homo non haberet, non faceret actum, quem facit: ſicut cùm aliquis homo, ignorat aliquam circumſtantiam actûs, quam non tenebatur ſcire, & ex hoc aliquid agit, quod non ageret, ſi ſciret. E. G. aliquis emiſſurus ſagittam, primo diligenter conſiderat, ne aliquis occurrat, interea emittens ſagittam, obuium quempiam caſu occidit, talis ignorantia cauſat inuoluntarium ſimpliciter. Itaque antecedens ignorantia eſt cauſa peccati: Conſequens eſt effectus peccati: Concomitans, nec cauſa, nec effectus, Ex his ita colligitur. Ignorantia inuincibilis, ſiue ſit prauæ diſpoſitionis, ſiue priuationis, ſiue ſit facti, ſiue iuris diuini poſitiui, humani Eccleſiaſtici, vel ciuilis, ſiue priuati, ſiue communis, ſiue antecedens, ſiue conſequens, excuſat à peccato, & à pœna, in quacunq; lege, etiam in excommunicatione. Ignorantia autem Concomitans, cùm non poſſit eſſe inuincibilis, non excuſat à peccato & eius pœna. Sed iam declarandum

MEMBRVM III.

An communicans cum excommunicato excommunicetur?

RESP. communicantes cum excommunicato vitando, incidunt in excommunicationem. Ita habetur. 11. *q.* 3. *cap.* 3. 4. 16. 17: 18. 19. 20: 26. 28. *Et* 107. Congruum oſtenditur ex Scripturis. Pſ. 17. *Cum peruerſo, peruerteris.* Eccleſiaſtici 31. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui communicauerit ſuperbo induet ſuperbiam.* Ergo etiam qui communicat cum excommunicato vitando, incurrit excommunicationem. DEINDE. Coniunctus ei, qui eſt extra communionem, & ipſe recedit à communione. Sed qui communicat excommunicato vitando, coniungitur ei, qui eſt extra communionem. Ergo recedit à communione & excommunicatur. Hic,

11. q. 3. cap. 3. &c.

OBSERV: Diuerſimodè incurri excommunicationem, per participationem cum excommunicatis, vt notat D. Thom. *Supp. q.* 23 *art.* 2. Nam qui excommunicatur maiori excommunicatione, non ſolus, ſed cum omnibus participantibus ſibi; certum eſt, quòd quicunq; ei participat, excommunicatur maiori excommunicatione, V. G. excommunicauit aliquem Papa ob crimen, cum tali addito, vt omnes conuerſantes cum eo, eidem pœnæ ſubiaceant, tùm quicunque cum taliter excommunicato

D. Thom.

cato conuerſatur, incurrit eandem maiorem excommunicationem. Ratio, quia ſicut ille author criminis excommunicatur, ita & iſti illi communicantes: at ille maiori excommunicatione tangitur. Ergo & iſti: Qui autem communicat excommunicato in crimine, dans conſilium, auxilium, aut fauorem, excommunicatur maiori excommunicatione. Ratio, quia principalis excommunicatus eſt, propter reatum talis criminis, maiori excommunicatione. Sed qui commũnicat ei in tali crimine, ſimiliter reus eſt eiuſdem criminis. Ergo incidit in eandem maiorem excommuinicationem. Hîc,

ADVERTE. Ad hoc vt incidat in maiorem excommunicationem participans in crimine, quinque conditiones requiruntur 1. vt is cum quo alius participat, iam inciderit in excommunicationem, alioquin non poſſet dici, participaſſe cum excommunicato formaliter, ſiquidem nondum erat excommunicatus, 2. vt participet in illomet crimine, propter quod alter iam eſt excommunicatus. Vnde ſi quis excommuuicatus eſt, propter direptionem rerum Eccleſiæ, participet autem illi alius, in crimine furti, aut homicidij, non erit excommunicatus participans, quia non propter furtum ſimplex aut homicidium, ille principalis eſt excommunicatus, ſed propter direptionem rerum Eccleſiæ, .3 vt excommunicatus, cum quo alius participat in crimine, ſit nominatim denuntiatus, 4. Vt is, qui participat cum excommunicato in crimine, ſciat illum verè eſſe excommunicatum, 5. Vt hæc participatio talis ſit, quæ moraliter influat, ſeu cooperetur aliquomodo ad crimen alterius continuandum, aut non emendandum: proinde non ſufficit mentalis vel interna approbatio, nec ſufficit fauere perſonæ ſecundum ſe, aut in alio opere, licet per accidens & indirectè inde reſultet, excommunicatum per hoc reddi potentiorem, & animoſiorem ad ſuum crimen continuandum, ſed debet eſſe directus ea intentione fauor, conſilium ſeu auxilium, nempe ad continuandum crimen damnatum, ſeu perſiſtendum in eo. Tandem quicunque communicat excommunicato vitando, in rebus prohibitis ſeu diuinis, ſiue humanis & politicis, incurrit minorem excommunicationem.

DICES. Si incurrit excommunicationem, qui conuerſatur cum excommunicato. Ergo multò magis qui, conuerſatur cum Iudæo, vel Gentili. Sed conuerſans cum Iudæo vel Gentili, non incurrit ob hoc excommunicationem. Ergo neque cum excommunicato. MAIOR. Si incurrit

currit excommunicationem, conuersans cum excommunicato, hoc ideò quia excommunicatus ille, separatus est, ab Ecclesiastica communione. Ergo quò aliquis, magis est separatus ab Ecclesiastica communione, cum illo conuersans, magis excommunicatur. quia si ad simpliciter, sequitur simpliciter, & ad magis, magis; & ad maximè maximè, *ex 2. Topic.* Sed Iudæus & Gentilis, magis est separatus ab Ecclesiastica communione, quàm excommunicatus Christianus, qui adhuc propter Baptismum & fidem, pertinet ad Ecclesiam. Ergo si incurrit excommunicationem conuersans cum excommnicato, multò magis qui conuersatur cum Iudæo vel Gentili. *Resp.* neg: MAI. Ratio est, quia Ecclesia non ita intendit corrigere infideles, Apostolus enim dicit 1. *cor.* 5. *Quid mihi de illis, qui foris sunt, iudicare?* fideles autem intendit corrigere, quia ad se pertinet cura eorum, proinde non ita prohibet conuersari cum Iudæis, & Gentilibus, sicut cum Christianis, quos excommunicat, vt resipiscant.

COROLLARIVM 4.

A minore quidem excommunicatione, & maiore non reseruata quilibet expositus Sacerdos, & Parochus non Sacerdos: à maiore verò reseruata, ille qui tulit, aut eius Superior absoluere potest.

D. Thom. Corollarium est ad mentem D. Thomæ, *in Suppl. q. 24. art. 1. c.* quod per singula membra declarari est necesse.

MEMBRVM I.

An à minore excommunicatione, & maiore non reseruata quiuis Expositus possit absoluere?

Cap. Nup. RESP. affirmatiuè. Ita expresse habetur in *Cap. Nuper. de Sent. Excommun: in 6.* & ita seruatur in praxi. Ratio est, quia dùm aliquid non reseruatur superiori Potestati, ab inferiore perfici potest. DEINDE Ad absoluendum à tali excommunicatione; sufficit quælibet iurisdictio in foro Sacramentali, siue ordinaria siue delegata. Sed Parochus quiuis, etiamsi non sit Sacerdos, habet ordinariam iurisdictionem, & quilibet simplex Sacer-

Sacerdos, dummodo sit expositus, habet delegatam. Ergo quod infertur, à minori excommunicatione, & maiori non reseruata, quilibet expositus Sacerdos, & Parochus proprius, etiam nondum Sacerdos, potest absoluere. Nec debet alicui mirum videri, quòd nondum Sacerdos possit absoluere ab excommunicatione, qui tamen habet iurisdictionem, siquidem etiam potest excommunicare qui nondum est Sacerdos.

DICES: Qui non potest condemnare, non potest absoluere, vna enim est potestas ligandi & soluendi. Sed Parochus aut alius Sacerdos, non potest condemnare excommunicando. Ergo non potest ab excommunicatione absoluere. *Resp.* illud non potest ordinariè Parochus, aut alius Sacerdos, quod ad eius officium non pertinet, sicut excommunicare, cùm non habeat iurisdictionem in foro contentioso; absoluere autem ab excommunicationibus prædictis potest Parochus siquidem hoc eius officio magis congruum esse videtur. & maioris vtilitatis: tùm etiam, quia est actus odiosus, absoluere autem fauorabilis, proinde ad istum, generalius potestas conceditur.

MEMBRVM II.

Quis absoluat à reseruata excommunicatione?

RESP. Ab excommunicatione reseruata, ille tantùm absoluere potest qui tulit, aut eius superior. Etenim eiusdem est soluere ordinariè, cuius est ligare. Sed excommunicare est ligare, tollere excommunicationem est soluere. Ergo ille ordinariè absoluit, ab excommunicatione reseruata, qui eam tulit. DEINDE. Potentiæ rationales, habent se ad opposita, *ex* 9. *Metaph. cap.* 2. Sed potestas clauium, est potentia rationalis. Ergo se habet ad opposita, cùm ergo se extendat ad excommunicandum, etiam ad absouendum. PRÆTEREA. Superior potest absoluere, ab excommunicatione lata ab inferiore: nam quidquid potest causa particularis, potest vniuersalis. Sed superior prælatus, est quasi causa vniuersalis respectu inferioris. Ergo superior prælatus, potest absoluere, ab excommunicatione lata ab inferiore.

DICES. Qui potest absoluere à peccato mortali, potest etiam à quauis excommunicatione. Sed quilibet Sacerdos expositus, potest absoluere à peccato mortali. Ergo & à quauis excommunicatione. MAI: Qui potest

maius, poteſt & minus, ſed vinculum peccati mortalis maius eſt, quam vinculum cuiuſuis excommunicationis, per illud enim homo propriè & directè inimicus DEI conſtituitur. Ergo qui poteſt abſoluere à peccato mortali, poteſt & ab omni excommunicatione. *Reſp.* neg. MAI: Ad probat: dicendum, 1. diſting. Qui poteſt maius, poteſt & minus, ſi maius & minus ſint eiuſdem generis & ordinis, vt ; qui poteſt abſoluere à maiore peccato, poteſt & à minore: & qui poteſt abſoluere à maiore excommunicatione, poteſt & à minore. Si verò maius & minus ſint diuerſi ordinis, non ſequitur, vt ſemper poſſit minus, qui poteſt maius. Peccatum ergo & excommunicatio, cùm ſint diuerſi ordinis, non ſequitur, quòd poſſit abſoluere ab excommunicatione reſeruata, qui abſoluit à peccato mortali. Dicendum 2. licet vinculum peccati mortalis, ſimpliciter ſit maius vinculo excommunicationis, tamen ſecundùm quid, vinculum excommunicationis, maius eſt vinculo peccati, in quantùm obligat, non ſolùm quoad DEVM, ſed etiam, quoad faciem Eccleſiæ, & ideo, ad abſoluendum à peccato mortali, ſufficit iuriſdictio in foro interiori, ad abſoluendum autem ab excommunicatione reſeruata: requiritur iuriſdictio in foro exteriori.

Ioan. Eck. in Enchi. Hoſius in Inſtit: cap. 48. Lathom: Alphonſ. à Caſtro, Concil. Ancyran: Nicænum can: 11. Carthagi: 4. cap. 65. Neocæſarienſe c. 3. Agatenſe. c. 60. Laodic: can. 1. &c.

CONCLVSIO III.

TRaditam eſſe à CHRISTO, cum clauibus Eccleſiæ poteſtatem, concedendi indulgentias, quò faciliùs fidelis viator, ſoluatur à reatu pœnæ temporalis, poſt remiſſum peccatum manentis, Vniuerſalis Eccleſiæ vnanimis ſemper declarat conſenſus.

Con. Tri.

Concluſio eſt contra hæreticos indulgentias inpugnantes. Nouatianos, Waldenſes, Wiccleffum, Lutherum, & alias peſtes, eſtque de fide Concluſio, definita in Concil: Trid: *Seſſ.* 21. *cap.* 9. *de Reform.* vbi indulgentias, quarum vſus eſt in Eccleſia, cæleſtes vocat theſauros. *Seſſ.* 25. *in Decreto de Indulgentijs* dicit. Cùm poteſtas conferendi indulgentias, à CHRISTO Eccleſiæ conceſſa ſit, atque huiuſmodi poteſtatate, diuinitùs ſibi

sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus, illa vsa fuerit, Sacrosancta Synodus indulgentiarum vsum, Christiano populo maximè salutarem, & sacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi, in Ecclesia potestatem esse negant. Doctrina conclusionis, vt distinctiùs proponatur, per articulos examinabitur. sit proinde,

ARTICVLVS I.

Vtrum potestas faciendi indulgentias, sit in Ecclesia?

NEgant hæreticorum coniurationes, quibus suffragari ista videntur, 1. Si in Ecclesia esset potestas, à CHRISTO tradita indulgentias faciendi, non præterijssent silentio rem tantam, antiquiores Ecclesiæ Doctores. Atqui apud illos, nulla inuenitur expressa huius rei mentio. Ergo potestas ista, Ecclesiæ à CHRISTO data, gratis asseritur. 2. In vera Ecclesia, non conuenit esse aliquam potestatem in destructionem, sed omnia debent esse in ædificationem 2. *Cor.* 10. *Dedit nobis Dominus potestatem in ædificationem, & non in destructionem vestram.* Sed potestas faciendi indulgentias, est in destructionem: Ergo CHRISTVS ministris in sua Ecclesia, non dedit hanc potestatem. MIN: Quod dignos fructus pœnitentiæ eradicat, satisfactiones quæ ad nostram vtilitatem sunt introductæ tollit, & eneruat disciplinam Ecclesiasticam, illud est in destructionem. Potestas verò quâ indulgentiæ conceduntur, horum est occasio incommodorum, quando indulgentijs non solum peccata, sed etiam pœnam omnem debitam peccatis, plebs sibi remissam gratulatur, proptereaque satisfactiones, aliâs implendas, prætermittit, & tepida in bono opere permanet. Potestas igitur concedendi indulgentias, est in destructionem, 3. Si in Ecclesia esset potestas cum clauibus à CHRISTO tradita concedendi indulgentias, aut esset ordinis, aut iurisdictionis: sed neutrum horum dicendum. Ergo talis potestas, à CHRISTO Ecclesiæ non est tradita. ASSVMPTVM, in vtroque patet; non est enim hæc potestas ordinis, vt communiter docent Theologi cum D. Thoma, *in* 4. *dist.* 20. & vsus declarat Ecclesiæ, cùm etiam non Sacerdotes, soleant indulgentias concedere. Non etiam potestas ista dici debet iurisdictionis; quia si esset potestas iurisdictionis, aut esset

Palud: q. 4 Soto. dist. 21. q. 1. art. 4. Caiet: opus: de Indul:

ſet in foro interiori pœnitentiali, aut in foro exteriori, ſeu contentioſô iudiciali. Sed etiam nihil horum. Ergo non eſt poteſtas iuriſdictionis. MIN. Quòd poteſtas hæc ſeu iuriſdictio, non ſit in foro interiori; etenim hæc non exercetur niſi medio Sacramento pœnitentiæ, vnde conſtat ſub illa, non comprehendi hanc poteſtatem dandi indulgentias. Non etiam in foro exteriori contentioſo, quia hæc ſpectat ad externum & politicum regimen Eccleſiæ, nec extenditur ad internam remiſſionem pœnarum, in foro animæ. Ergo poteſtas, concedendi indulgentias, non eſt iuriſdictionis; nullaq; talis in Eccleſia poteſtas. Sed in oppoſitum,

Suar. diſp. 49. Sect. 1. CONCLVD. Eſt in Eccleſia, tradita à CHRISTO cum clauibus poteſtas, faciendi indulgentias. PROBATVR concluſio ex verbis CHRISTI, promittentis claues Eccleſiæ *Matth.* 16. Petro dicentis. *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Ex quibus verbis ſic argumentari licet. Signum diſtributiuum. *Quodcunq; ſolueris*, cùm ſit vniuerſaliſſimum, ſignificat à CHRISTO datam Eccleſiæ poteſtatem ad ſoluendum omne vinculum, quo fideles ligari poſſunt, & retardari tanquam obſtaculo aliquo, ab in greſſu regni cœleſtis. Sed inter alia vincula, quibus ligantur fideles & tanquam obſtaculis ab ingreſſu regni cæleſtis retardantur, eſt reatus pœnæ temporalis apud DEVM, aut hic, aut in purgatorio luendæ. Ergo cum clauibus, dedit CHRISTVS Eccleſiæ poteſtatem, etiam per indulgentias ſoluendi à reatu pœnæ temporalis apud DEVM.

DICES. Verba illa, ſolùm ſignificant, datam Petro poteſtatem neceſſariam ad regimen Eccleſiæ, vt eſt poteſtas diſpenſandi in leges, abſoluendi à præceptis & obligationibus, à cenſuris & peccatis. Ergo fruſtra torquetur ad poteſtatem concedendi indulgentias. Sed,

CONTRA. Verba illa, cùm generalem promiſſionem contineant, ex vi ſua, comprehendunt poteſtatem cum omni actu, qui ad aperiendum regnum cœlorum, ſit accomodatus: porrò abſoluere à reatu pœnæ temporalis apud DEVM, eſt actus accommodatus ad aperiendum regnum cœlorum. Ergo in verbis CHRISTI prædictis, comprehenditur poteſtas, quæ ſe poteſt explicare, in actum abſoluendi à pœna temporali, per indulgentiarum conceſſionem. ASSVMPTVM patet, quia ille actus accommodatus eſt ad aperiendum regnum cœlorum, qui tollit impedimenta illa, quæ niſi tollantur, non poteſt intrari in regnum cœlorum. Sed reatus pœnæ temporalis apud DEVM, eſt tale impedimentum, quam diu enim

habet

habet aliquis reatum pœnæ temporalis apud DEVM, non poteſt ingredi in regnum cœlorum. Ergo abſoluere à tali reatu, pœnæ temporalis, per indulgentiarum conceſſionem, eſt actus accomodatus, ad aperiendum regnum cœlorum.

DEINDE. Idipſum declarant verba CHRISTI *Ioan.* 21. actu ipſo hanc poteſtatem Petro tradentis, cùm dixit. *Paſce agnos meos, paſce oues meas.* Ex quibus verbis, ita concludi poteſt. Sub illo verbo *Paſce*, includitur omnis actus iuriſdictionis, qui ad claudendum vel aperiendum regnum cœlorum conferre poteſt, vt hoc modo, donatio ſit æqualis promiſſioni factæ *Matth.* 16. Iam remiſſio pœnarum per indulgentias, eſt vnus ex actibus, quibus aperitur regnum cœlorum, vt iam dicitur. Ergo ille etiam comprehenditur, ſub vniuerſali munere paſcendi agnos & oues CHRISTI. PRÆTEREA. Quando alicui conceditur poteſtas aliqua, intelligitur concedi cum omnibus, quæ vel neceſſaria ſunt, vel valde commoda, ad finem talis poteſtatis. Sed Petro & Succeſſoribus eius à CHRISTO conceſſa eſt poteſtas, pertinens ad perfectam gubernationem Eccleſiæ. Ergo conceſſa eſt, cùm omnibus neceſſarijs, & valde commodis ad finem eius. Sed remittere pœnas per indulgentias, eſt neceſſarium, & valde vtile ad finem poteſtatis Eccleſiaſticæ: gratia enim hæc & fauor indulgentiarum, multùm confert ad profectum ſpiritualem fidelium, vt meliùs ac frequentiùs à peccatorum vinculis liberentur. Ergo hæc poteſtas cum clauibus Eccleſiæ à Chriſto eſt tradita. INSVPER. Illa poteſtas à CHRISTO tradita eſt Eccleſiæ, cuius vſus ſemper legitimus fuit in Eccleſia, ab ipſis Apoſtolorum temporibus. Sed vſus indulgentiarum, ſemper legitimus fuit in Eccleſia, ab ipſis Apoſtolorum temporibus. Ergo. ASSVMPTVM indubium, nam & Paulus 2. *Cor.* 2. Indulgentiam ſeu remiſſionem alicuius partis pœnæ, conceſſit illi incæſtuoſo pœnitenti, quem grauiùs punierat excommunicando 1. *cor.* 5. ait: enim Apoſtolus. *Sufficit illi, qui huiusmodi eſt, obiurgatio hæc.* Et poſt nonnulla ſubiungit dicens. *Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos, in perſona Chriſti.* ſiquidem ille incæſtuoſus, nondum plenè ſatisfacerat pro delicto ſuo, ſed Apoſtolus liberalem illi indulgentiam conceſſerat, vlterioris pœnæ debitæ. Vel ex prudenti miſericordia, dicens. *Ne forte abundantiori triſtitiâ abſorbeatur qui eiusmodi eſt.* Vel in gratiam Corinthiorum, qui pro ipſo interceſſerant, vnde ſubiungit, dicens. *Propter vos.* Ergo vſus indulgentiarũ ſemper in Eccleſia fuit legitimus à temporibus Apoſtolorum.

Corin. 2. Cap. 2.

DICES. Non poteſt oſtendi, Paulum in illa condonatione facta incæſtuoſo, largitum fuiſſe indulgentiam, qualis temporibus iſtis exercetur. Ergo fruſtra illud aſſumitur. ANTEC: Si quo Apoſtoli verbo, probaretur largitio talis indulgentiæ, maximè eo quòd dicit, ſe donaſſe in perſona CHRISTI: ſed exinde non poteſt deduci, illum indulgentiam talem dediſſe, verùm exercuiſſe actum aliquem iuriſdictionis, aut poteſtatis à CHRISTO acceptæ, videlicet condonationis pœnæ Eccleſiaſticæ, quæ impoſita erat ad ſatisfaciendum Eccleſiæ: nam ſicut poteſtas ligandi ad hanc pœnam à CHRISTO eſt, ita etiam ſoluendi. Ergo nulla ratione probari poteſt, Paulum illa condonatione facta, largitum fuiſſe incæſtuoſo indulgentiam, *Reſp.* neg: ANT. Ad probat: d. ſiquidem illa pœna excommunicationis, impoſita fuit incæſtuoſo, non ſolùm ad ſatisfaciendum Eccleſiæ, ſed etiam ad compenſationem delictorum, ideo Paulus non remiſit illam pœnam, quin alia via compenſaretur ſatisfactio, ſeu remiſſio pœnæ apud DEVM, ſcilicet per indulgentiam, in applicatione theſauri Eccleſiæ.

DENIq;. Perpetua traditio, & vſus alicuius poteſtatis, in vniuerſali Eccleſia, ſignum eſt, quòd à CHRISTO ſit tradita & inſtituta. Atqui de indulgentijs eſt perpetua traditio, & vſus in vniuerſali Eccleſia. Ergo ſignum eſt, hanc poteſtatem concedendi indulgentias, à CHRISTO eſſe ininſtitutam. MIN. palam eſt, in Stationibus quæ celebrantur in aliquibus Eccleſijs Vrbis Romæ, in quibus plenaria indulgentia conceditur, & cùm ignoretur principium illarum Stationum cum indulgentiâ, ſignum eſt, quòd primi illi Pontifices, poteſtate ſibi ad hoc à CHHISTO tradita conceſſerunt.

AD ARGVM: *Reſp.* Ad. 1. Licet aliqui ex antiquis Doctoribus, in ſpeciali non agant de indulgentijs, agentes tamen de poteſtate remittendi & retinendi peccata, de poteſtate ligandi & ſoluendi, quæ tradita eſt Eccleſiæ, ſub illa comprehendunt poteſtatem concedendi indulgentias, nam & illa, in actu ſoluendi exercetur. Et ratio eſt, cur expreſſe & in particulari, de hac poteſtate non egerunt, quia nondùm exorti erant hæretici, indulgentias manifeſtè impugnantes: tùm etiam, quia illis primis temporibus, rarior erat vſus indulgentiarum, tunc enim magis vigebat auſteritas diſciplinæ, & pœnitentiæ, ac ſatisfactionis; poſterioribus ſæculis, cùm ad iſta remiſſiores facti ſunt homines, crebriore indulgentiarum largitione iuuari, opus habent.

AD

AD. 2. *Resp.* neg: MIN. Ad probat: d. malis omnia in malum, etiam bona, quia illis abutuntur, sicut bonis in bonum, dicente scriptura Ecclesiastici 39. *Omnia sanctis in bona, sic & impiis peccatoribus in mala conuertuntur.* Si quis bonus, bono affectu indulgentias acceptat, non sunt ei in destructionem, sed in ædificationem, nam ex quo considerat tantam sibi per illas gratiam præstitam, magis accenditur & animatur ad bona opera, in gratiarum actionem DEO rependenda, operaque pœnitentia sibi iniuncta, alacriùs prosequitur, ex quibus vlteriùs remedium contra peccata consequatur.

AD. 3. *Resp.* neg: MIN Ad probat. d. potestas concedendi indulgentias, est iurisdictionis, non ligantis, sed soluentis, quæ sit media inter iurisdictionem fori interioris pœnitentiæ, & fori exterioris contentiosi, seu iudicialis. *ait Alex. de Ales. 4. p. q. 83. in principio.* D. Thom. Suppl. q. 25. art. 2. ad. 1. Suar. disp. 49. Sect. 3. n. 7. Alens.

ARTICVLVS II.

Vtrum Summus Pontifex, possit totam pœnam debitam peccatis relaxare?

NON posse, sic videtur. 1. Quod repugnat diuinæ iustitiæ, illud Pontifex facere non potest, sed relaxare per indulgentias totam pœnam debitam peccatis, est contra diuinam iustitiam. Ergo id Pontifex non potest. MIN: diuina iustitia vult, vt pœna sequatur peccatum, vt sicut nullum bonum irremuneratum, sic nullum malum impunitum. Sed vbi relaxatur tota pœna, debita peccatis, iam non sequitur pœna peccatum. Ergo relaxare totam pœnam debitam peccatis, est contra diuinam iustitiam, 2. Cui relaxatur tota pœna debita peccatis, non obligatur ad satisfactionem, quæ agitur per opera pœnalia: ideo enim aliquis conatur satisfacere per opera pœnalia, vt expiare possit pœnam debitam suis peccatis. Sed omnis peccator obligatur ad satisfactionem agendam per opera pœnalia, iuxta illud Matth. 3. *Facite fructum dignum pœnitentiæ.* Ergo per indulgentias, non potest tota pœna debita peccatis relaxari. In oppositum.

CONCLVD: Cùm plenaria conceditur indulgentia, per illam tota pœna debita peccatis relaxatur. Ita D. Thom: *Suppl. q. 25. art. 1. ad. 2.* D. Thom. Alex.

Alens. Suarez. Alex. de Ales. 4. *p. q.* 83. *membr.* 6. Suar. *disp.* 50. *Sect.* 4. PROBATVR. ex verbis CHRISTI. Matth. 16. *Quodcunq; solueris*, in quibus verbis, data est Petro potestas soluendi omne vinculum. Iam si non posset per indulgentias omnem pœnam debitam peccatis relaxare, non omne vinculum posset soluere. Ergo. DEINDE. Petro CHRISTVS commisit suam potestatem tanquam vicario in terris, quæcunque spectat ad regimen animarum. Sed relaxare pœnam debitam peccatis, spectat ad regimen animarum. Ergo illam CHRISTVS Petro communicauit. Atqui CHRISTVS, sine satisfactione, potuit pœnitenti, totam pœnam relaxare, debitam peccatis eius, vt patet *Ioan.* 8. de muliere adultera. Ergo & Petrus id per indulgentias facere potest. PRÆTEREA. Abundantia meritorum Ecclesiæ, excedit omnem pœnam debitam hominibus pro peccatis, cùm potissimùm ibi sint infinita merita CHRISTI. Sed indulgentiæ in his meritis fundantur, quia sunt causa remissionis pœnæ in indulgentijs, Ergo Pontifex qui est dispensator indulgentiarum, habens clauem thesauri meritorum CHRISTI, potest per indulgentias totam pœnam debitam peccatis relaxare.

AD. ARGVM. *resp.* Ad. 1. neg: MIN. Ad probat: d. etiamsi tota pœna relaxetur per indulgentiam, tamen pœna sequitur peccatum, pœna satisfactionum Ecclesiæ, & maximè CHRISTI, cuius pœnæ infiniti valoris, pro nobis satisfactioriæ. hinc illud Ps. 137. *Dominus retribuet pro me.*

AD. 2. *Resp.* Quamuis alicui relaxetur per indulgentias tota pœna debita peccatis, consulendum tamen est illi, ne propter hoc, ab operibus pœnitentiæ iniunctis abstineat, vt etiam ex his remedium consequatur, ad euitanda in posterum peccata: & præcipuè, quia quandoq; D. Thom. plurium est debitor, quàm ipse credat. ita D. Thom. *loco supra dicto, art:* 1. *ad* 4. Eundem sensum reddit Alensis, *supra, in respons. Ad illud quod quæritur:* dicit enim, eum cui tota pœna, per indulgentias relaxata est, non oportere satisfactionem implere, opportunitate necessitatis, sed tantùm opportunitate expeditionis, quia nimirum, non expedit illi, prætermittere sibi pœnitentiam iniunctam, sed expedit quòd illam adimpleat, quamdiu vixerit.

COROLLA-

COROLLARIVM I.

Rectè dicitur, indulgentia, esse Ecclesiastica relaxatio, seu remissio pœnæ, peccato remisso debitæ: non tantùm in foro Ecclesiæ, verùm etiam in iudicio DEI: ex thesauro, constante satisfactionibus CHRISTI superabundantibus: & supererogationis operibus iustorum. D: Thom. Suppl. q. 25. art. 1. Alens: 4. p. q. 83. m. 1. ar. 1. Ca. Quod autem de pœnit: & remiss.

Plurima membra, in hoc Corollario conglobata, per singula sic declarari possunt.

MEMBRVM I.

An indulgentia sit relaxatio seu remissio?

RESP. Relaxatio & remissio pœnæ, peccato debitæ, conuenit indulgentiæ. Constat: ex Cap. *Quod autem*, de pœnitentia & remissione, vbi indulgentiæ remissiones vocantur. Etenim quod potestati clauium tribuitur, in eo ratio indulgentiæ explicatur, iam autem constat indulgentiæ concessionem, esse actum potestatis clauium. Sed relaxare seu remittere, tribuitur potestati clauium, perinde enim est, atq; soluere, quando peccatori condonatur proprius reatus, in virtute satisfactionis repositæ in thesauro Ecclesiæ potestate clauium. Ergo indulgentia est relaxatio seu remissio pœnæ. Alens 4. p. q. 83. Cai. trat. de indulg. Soto in 4. dist. 21. q. 1. art. 1. Angelus Armilla. Cap. Qu. autem.

OBIIC: Remittere virtute clauium, idem est quod absoluere. Atqui indulgentiæ, non fiunt per modum absolutionis. Ergo non debet dici indulgentia remissio pœnæ. MIN: Absoluere importat rationem iudicij, & sententiæ prolationem. Sed in concessione indulgentiæ, non intercedit vera ratio iudicij aut sententiæ, cùm non seruetur Ordo iudiciarius, qui etiam in accusatione, causæ discussione, & cæteris completur. Ergo indulgentiæ, per modum absolutionis non fiunt. *Resp.* negan: MIN. Ad probat: d. quamuis hic non seruatur ordo iudiciarius, sicut seruatur in foro Sacramentali, non ideo tamen concessio indulgentiæ, absolutio dici non debet: & quamuis concedatur, non fieri absolutionem, per modum particularis sententiæ, est tamen absolutio, id est, efficax remissio pœnæ, immediatè facta, per voluntatem & declaratio-

nem Prælati Ecclesiæ, vtentis potestate iurisdictionis, sibi ad hoc concessa.

MEMBRVM II.

An remisso peccato, remaneat pœna?

RESP. Est dogma fidei, remisso peccato remanere quandoque pœnam temporalem, vel in futura vita luendam. Ita D. Thom. 3. *p. q.* 86. *art.* 4. estque definitum in Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 8. *de pœnit.* Vbi falsum omnino, & à verbo DEI alienum dicitur, culpam à Domino nunquam remitti, quin vniuersa etiam pœna condonetur. Et. *Can.* 12. *Si quis dixerit, totam pœnam, simul cum culpa remitti semper à Deo &c. anathema sit.* Id etiam ex scripturis est manifestum, nam *Gen.* 3. remissa culpa, pœna remansit primorum parentum. Et, 2. *Reg.* 12. remissa culpa, pœnitenti Dauid, dicente Nathan. *Dominus transtulit peccatum tuum*; pœna tamen remansit, eodem Nathan personante. *Veruntamen filius, qui natus est tibi morte morietur.* DEINDE. Manente inordinata conuersione ad bonum commutabile, manet reatus pœnæ temporalis. Sed remissa culpa, aliquando manet inordinata conuersio ad bonum commutabile, quamuis non quantùm ad moralem malitiam eius, tamen, vel quoad habitum, vel quoad aliquem effectum, vel debitum ex illo ortum. Ergo aliquando remissa culpa, remanet reatus pœnæ temporalis. MAI. declarari potest. quia, sicut se habet reatus pœnæ æternæ ad auersionem à bono incommutabili, ita se habet reatus pœnæ temporalis, ad conuersionem inordinatam ad bonum commutabile. Sed manente auersione à bono incommutabili, manet reatus pœnæ æternæ, iustum enim est, vt qui contra bonum æternum peccauit, contemnens illud à quo auersus est, in æternum puniatur. Ergo etiam manente inordinata auersione, ad bonum commutabile, manet reatus pœnæ temporalis; sic enim etiam iustum est, vt qui plus voluntati suæ indulsit, quàm debuit, contra mandatum DEI agens, contra voluntatem quoque suam aliquid patiatur. PRÆTEREA. Quando aliqua duo, ita inter se sunt ordinata, vt vnum prius sit corruptione altero, tunc illud, quod posteriùs corrumpitur, potest aliquandiu manere, iam sublato illo priore. Sed culpa & reatus pœnæ temporalis, ita sunt inter se ordinata, quòd culpa priùs corrumpatur seu remittatur, quàm reatus pœnæ temporalis.

D. Thom. Con. Trid.

Ergo

Ergo remiſsâ culpâ, quandoque manet reatus pœnæ temporalis. MIN. Effectus gratiæ operantis, priùs eſt, effectu gratiæ cooperantis, ait D. Thom. 3. *p. q.* 86. *art.* 4. *ad* 2. Sed remiſſio culpæ, cum reatu pœnæ æternæ, pertinet ad gratiam operantem, remiſſio verò reatus pœnæ temporalis, pertinet ad gratiam cooperantem, in quantum Homo, cum auxilio Gratiæ DEI, patienter pœnas tolerando, abſoluitur etiam à reatu pœnæ temporalis. Ergo culpa priùs remittitur, quàm reatus pœnæ temporalis. Sed hic contra argumentum D.Thom.

DICES. Quæ ſunt ſimul cauſâ, ſunt ſimul effectu, vt relatorum natura poſtulat: Porrò remiſſio culpæ & pœnæ temporalis, ſunt ſimul cauſâ, vtriusque enim remiſſionis cauſa, eſt gratia cooperans. Ergo ſunt ſimul effectu. Ergo remiſsâ culpâ, ſimul remittitur pœna temporalis. ASSVMPTVM. in eo ſcilicet, quòd remiſſionis vtriusque cauſa, ſit gratia cooperans, oſtenditur: & de pœna quidem temporali, in ſuperiore patet argumento; iam de remiſſione culpæ ſic probatur. Quia remiſſio culpæ & pœnæ æternæ, non ſunt ſine motu liberi arbitrij in DEVM, & contra peccatum. Sed hic motus liberi arbitrij, eſt cum gratia cooperante, & ſine illa eſſe non poteſt. Ergo remiſſio culpæ, eſt effectus gratiæ cooperantis. MIN. verus actus humanus, liber & ſupernaturalis, non eſt ſine gratia cooperante, ſeu adiuuante, vt docet Concil. Trid. *Seſſ.* 6. *Can.* 3. *de iuſtific. d. Si quis dixerit, ſine præueniente Spũs. S. inſpiratione atq́; eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere atq́; pœnitere poſſe, &c. anathema ſit.* Sed prædictus motus liberi arbitrij, eſt verus actus humanus, liber & ſupernaturalis. Ergo ſicut ſine præueniente, ſeu operante; ita etiam ſine cooperante & adiuuante gratia, fieri non poteſt. *Reſp.* remiſſio peccati, quatenus fit in nobis, formaliter eſt effectus ſolius gratiæ operantis, quia per ipſam infuſionem gratiæ confertur, iam verò remiſſio culpæ, quatenus fit diſpoſitiuè, eſt effectus gratiæ cooperantis, quia quoad hoc fit ſine nobis libere cooperantibus. Tangente enim DEO cor hominis, per Spiritus. S: illuminationem (ait Concil. Trid. *Seſſ.* 6. *Cap.* 5.) neque homo ipſe, nihil omnino agit inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere poteſt, neq; tamen ſine gratia DEI, mouere ſe ad iuſtitiam coram illo, liberâ ſuâ voluntate poteſt. Itaque remiſſio peccati ex ea parte, quâ requirit diſpoſitionem noſtram, requirit gratiam cooperantem, cui dùm cooperamur, conſequimur etiam remiſſionem pœnæ temporalis, maioris vel

Con.Trid.

Con.Trid.

minoris, iuxta maiorem vel minorem cooperationem nostram.

OBIIC. 1. Cui debetur præmium non debetur pœna. Porrò cui remissa sunt peccata, ei debetur præmium, nam & Ps. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* Ergo non debetur pœna. Ergo post remissionem peccati, non manet vllus pœnæ reatus. CONFIR. MIN. Virtuoso debetur præmium, nam & Arist, *lib. 1. Ethic. c. 9.* virtutis mercedem, *optimum quoddam, diuinum & beatum* dicit. Et *lib. 4. Ethic. cap. 3. Est virtutis merces gloria.* Quin & Apostolus *Rom. 2.* dicit: *Gloria & honor, & pax, omni operanti bonum*: Non ergo pœna debetur virtuoso sed præmium. Atqui cui remissa sunt peccata, virtuosus est: Ergo cui remissa sunt peccata, ei debetur præmium. MIN. Qui vitiosus non est, virtuosus est: horum enim duorum vnum, necesse est in homine esse. Sed cui remittuntur peccata, non est vitiosus, cùm iam non sit in eo vitium. Ergo est virtuosus. *Resp.* pœna dupliciter consideratur, vel simpliciter sumpta, vel vt est satisfactoria. Virtuoso igitur cui præmium debetur, pœna simpliciter sumpta non debetur, potest tamen in eo esse reatus pœnæ satisfactoriæ; nam satisfactoriam pœnam portare ad virtutem pertinet, scilicet ad iustitiam, quæ ius suum cuique tribuit, satisfaciendo pro omnibus, quibus vel DEVS, vel Homo offensus fuit.

OBIIC. 2. Sicut se habet medicina ad infirmitatem, ita se habet pœna ad peccatum. quia sicut medicina est propter curandam infirmitatem, ita pœna ad destruendum peccatum, Arist. *lib. 2. Ethic. cap. 3.* dicit, *Supplicia medicinæ quædam sunt.* Atqui sublata infirmitate, non est medicina necessaria, Matth 9. *Non est opus valentibus Medicus.* Ergo remisso peccato, non manet reatus pœnæ. *Resp.* Quamuis sublata infirmitate, non sit necessaria medicina ad curandum, est tamen necessaria, vel ad abolendas reliquias morbi, vel ad præseruandum; sic quoque remisso peccato, quamuis non requiratur pœna, ad sanandum vulnus peccati, quantum ad voluntatem, requiritur tamen pœna, ad sanandas alias vires animæ, quæ per peccatum deordinatæ fuerunt; tùm ad restituendam æqualitatem iustitiæ, & ad præseruandum à lapsu futuro, quatenus pœna satisfactoria. nam satisfactionis duplex est actus. Vnus est, honorem debitum DEO impendere, per illatæ iniuriæ compensationem, vt Anselmus dicit, *lib. 1. Cur Deus homo cap. 11.* quod pertinet ad restituendam æqualitatem iustitiæ. Alter actus est, peccatorum causas excidere, & eorum suggestionibus aditum non indulgere,

Anselmus, D. Thom. Suppl. q. 12. art. 3.

vt

vt Augustinus habet *in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 54.* Augustin.

MEMBRVM III.

An pœna debita apud Deum, soluatur per indulgentiam?

RESP. Certum est, per indulgentiam remitti pœnam debitam peccato, in foro DEI. Ita D. Thom. *Suppl. q. 25. art. 1. c.* Alens. 4. *p. q. 83. m. 1. art. 1.* Suarez. *disp. 49. Sect. 1. n. 5.* Et, *disp. 50. Sect. 3. n. 4.* Et deduci potest, ex verbis CHRISTI, hanc potestatem instituentis, *Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Sed signum distributiuum *Quodcunq;* complectitur in sua generalitate, pœnas debitas peccato in foro DEI. Ergo & illæ per indulgentias remittuntur. DEINDE. Sicut per *terram* in verbis CHRISTI, significatur forum Ecclesiæ, ita per *cœlum* forum DEI, Sed Priuilegium est Petri, vt *Quodcunq;* soluerit in terra, sit solutum in cœlo. Ergo per indulgentias concessas in foro Ecclesiæ, remittitur pœna debita peccatis, in foro DEI. PRÆTEREA. Si per indulgentias remitteretur tantum pœna in foro Ecclesiæ, & non etiam in foro DEI, tunc Ecclesia concedendo indulgentias, magis damnificaret quàm adiuuaret, essetque hæc, magis deceptio, quàm relaxatio, & crudelitas, quàm pietas. quia remitteret Ecclesia ad grauiores pœnas in foro DEI, scilicet pœnas Purgatorij, absoluendo à pœnitentijs iniunctis, vt argumentantur. D. Thomas, & Alens. *locis prædictis.* Hoc autem nefas est de Ecclesia sentire. Ergo per indulgentiam, remittitur pœna debita peccato, in foro DEI.

D. Thom. Alens. Suarez.

OBIIC. Nulla est potestas in Ecclesia soluendi, cui non respondeat proportionata potestas ligandi. Sed in Ecclesia, nulla est potestas ligandi ad pœnas coram DEO debitas; nam illas solus DEVS taxat & imponit. Ergo nec potestas est aliqua soluendi ab eiusmodi pœnis. *Resp.* 1. disting. MIN. nulla est potestas in Ecclesia ligandi positiuè ad pœnas coram DEO, si hoc modo intelligatur, quòd nulla est potestas in Ecclesia, quæ faciat dignum pœna coram DEO, aut conseruet pœnam, vel impediat remissionem eius, sic vera MIN. Negatiuè autem & indirectè, ligare ad pœnam coram DEO, est potestas in Ecclesia, dùm subtrahitur, seu negatur impensio remissionis pœnæ. *Resp.* 2. Etsi nulla esset potestas ligandi ad pœnas coram DEO, non ideo tamen sequitur, nul-

D. Thom. Alens.

nullam esse potestatem ad soluendum à pœnis, quia soluere magis est fauorabile, ligare odiosum, porrò ea quæ fauoris sunt ampliora sunt ijs, quæ ad odia pertinent.

Soto in.4. d. 21 q. 2. art. 1. Nauar. de Indul. Suar. disp. 50. Sect. 3.

NOT: per indulgentias posse remitti pœnam temporalem, debitam peccatis, per contritionem remissis & deletis, quamuis illa peccata, nondum deleta sunt ad forum Sacramentale, & nondum pro illis pœnitentia Sacramentalis est iniuncta. Elicitur hoc ex verbis CHRISTI. *Quodcunque solueris.*

MEMBRVM IIII.

An indulgentiarum thesaurus ex Christi meritis & satisfactionibus consistat?

D. Thom. vbi supra. Caiet. Op: 15. de indulgent. cap. 1. 2. & 3. Soto Paludan. Medina.

RESP. id euidens est in fide. Quia sicut peccatum Adæ in condemnationem; simili modo, imò multò magis gratia DEI, per superabundantes CHRISTI satisfactiones, in remissionem, *quia, vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia. Rom. 5.* Sed peccatum Adæ, operatur omnibus in condemnationem, qui nascuntur, etiamsi centies centena millia hominum nascerentur, vltra eos qui nascuntur. Ergo multò magis superabundantes CHRISTI satisfactiones in remissionem. Ast inter modos remissionis, est iste etiam per indulgentias. Ergo in superabundantibus CHRISTI meritis & satisfactionibus fundantur.

DEINDE. Ex superabundantibus CHRISTI satisfactionibus, si non, ceu ex fonte scaturiunt indulgentiæ quarum vsus in Ecclesia, vel illæ eius satisfactiones perirent, vel frustra superabundantes essent. Sed hoc vtrumque nefandum; neque enim frustra aliquid dicendum, nec perire potest, quod diuinitùs in salutem hominum est ordinatum, quales sunt CHRISTI satisfactiones. PROPOSITIO patet, quia CHRISTVS satisfecit pro peccatis omnium hominum, iuxta illud. 1. *Ioan.* 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Et 1. *Cor.* 5. *pro omnibus mortuus est Christus.* Et 1. *Tim.* 2. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Atqui istæ satisfactiones, pro omnibus factæ, non omnibus tamen exhibentur per executionem, quia plurimi suâ culpâ perdunt, seu non apprehendunt re ipsa, quod pro illis factum est. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Matth.* 20. Ergo si vel

vel ex istis satisfactionibus CHRISTI superabundantibus, quæ factæ sunt etiam propter eos, quibus culpa eorum non applicantur, indulgentiæ non deriuantur, vel pereunt, vel frustra superabundantes nominantur.

DICES. Ex meritis & satisfactionibus CHRISTI, id solùm habetur, quod sufficit ad compensandas omnes gratias, vel remissiones, cùm effectu donandas, vsque ad diem iudicij, per Sacramenta vel sacrificia. Sed remissiones indulgentiarum, non fiunt per Sacramenta aut sacrificia. Ergo ex meritis & satisfactionibus CHRISTI, nihil superest, quod possit ad indulgentias deriuari. *Resp. neg.* MAI. etsi enim merita & satisfactiones CHRISTI, in Sacramentis operantur, non tamen efficacia earum in Sacramentis includitur, sed sua infinitate excedunt efficaciam Sacramentorum, ita D. Thom. *Suppl.* q. 25. *art.* 1. *c.* Ex quo vlterius — D. Thom.

DICENDVM. Id ex meritis & satisfactionibus CHRISTI habetur, quod efficax est, ad omnem gratiam & remissionem, quæ datur hominibus, quacunque tandem via dari potest. Sed præter Sacramenta & sacrificia, restat adhuc alia via, quâ hominibus gratia & remissio dari potest, alioqui non fuisset CHRISTVS, perfectus & vniuersalis Redemptor, quoad efficaciam. Ergo non id tantùm, ex meritis & satisfactionibus CHRISTI habetur, quod sufficit ad compensandas gratias & remissiones, per Sacramenta & sacrificia. PRÆTEREA. Non fuisset CHRISTVS sufficiens Redemptor omnium, si id solum esset ex eius meritis & satisfactionibus, quod sufficeret ad remissiones & gratias cum effectu donandas, nisi etiam valerent ad redimenda omnia peccata, quæ aliquando erunt, etiam ea, quæ nunquam remittentur. Non ergo id solùm habetur, ex CHRISTI meritis & satisfactionibus, quod sufficit ad remissiones cum effectu donandas. INSVPER. Ex eo quod est infinitum, redundat per omnes modos possibiles, quia tamdiu communicatur, quamdiu non exhauritur. Sed merita & satisfactiones CHRISTI, sunt infiniti valoris, propter infinitam dignitatem Suppositi diuini, seu Verbi incarnati, à quo fiebant: at inter alios modos possibiles, quibus communicantur merita & satisfactiones CHRISTI, est etiam per indulgentias, seu remissiones pœnarum. Ergo in meritis & satisfactionibus CHRISTI, indulgentiæ quarum in Ecclesia vsus semper perseuerat, solidantur.

Suár. disp. 51. Sect. 1. n. 8.

Clemens VI in Extrauag. Vnigenitus. de pœn. & rem.

OBIIC. 1. Si merita & satisfactiones CHRISTI, sunt superabundantes, & infiniti valoris, thesaurus ex ipsis constans, erit infinitus. Sed hoc.

hoc non est dicendum. Ergo non sunt superabundantes, nec infiniti valoris. MIN. Si thesaurus indulgentiarum est infinitus, vel exhauritur per tam crebram apertionē, & vsum eius, vel non: Si exhauritur, non est infinitus; si non exhauritur manebit ad consummationē seculi, & adhuc post diem iudicij: frustra enim tunc esset, siquidē nullus vsus illius, tunc futurus est. Ergo thesaurus constans ex meritis & satisfactionibus CHRISTI, non est infinitus. *Resp. neg.* MIN. Ad probat. d. thesaurus infinitus ex infinitis, CHRISTI satisfactionibus constitutus, nunquam exhauritur per iteratam apertionem, & dationem indulgentiarum, nunquam tamen frustra futurus, etiam post finem mundi, quando superabundantes satisfactiones, transibunt in gloriam Redemptoris, qui pro nobis superabundanter satisfecit. Et sicut infinita potentia DEI, non ideo debet dici frustra, quia non operatur infinita, quæ operari potest, nec iste thesaurus frustra erit, quamuis cessabit post finem mundi vsus eius.

Suarez.

OBIIC. 2. Thesaurus indulgentiarum, non potest componi ex eo, quod sufficiens præmium, seu plenam in se accepit remunerationem. Sed merita CHRISTI, plenam remunerationem in ipso CHRISTO acceperunt, quando propter illa exaltatus est, & accepit nomen quod est super omne nomen, August: *Tractat.* 104 *in Ioan.* dicit, *Humilitas passionis, claritatis est meritum; claritas humilitatis est præmium.* Ergo ex meritis Christi non componitur thesaurus indulgentiarum. *Resp.* non solùm sibi meruit CHRISTVS, sed etiam omnibus membris suis salutem, ait D. Thom. 3. *p. q.* 48. *art.* 1. vnde merita eius, non sunt omnino ad æqualitatem remunerata, iam enim nihil posset nobis de iustitia propter illa dari, neque effectus Sacramentorum nobis darentur, vt iustum præmium meritorum CHRISTI, nec etiam possemus quippiam postulare, propter merita CHRISTI, quæ omnia sunt inconuenientia.

Augustin.

D. Thom.

MEMBRVM V.

An satisfactiones iustorum conferant ad thesaurum indulgentiarum?

D. Thom. Clemens VI. Leo X.

RESP. Catholicè tenendum est, etiam ex sanctorum supererogationis operibus, thesaurum indulgentiarum constare. Ita D. Thom: *Suppl. q.* 25. *art.* 1. *c.* Clemens VI. in *Extr. Vnigenitus, de pœn. & remiss.* Leo X. *in Bulla contra errores Lutheri* Etenim non minùs potest superabundans

dans

dans vsui proprio, in thesauro publico relinqui, quàm alicui indigenti priuatim donari. Sed satisfactiones suas superabundantes, potest aliquis iustus, alteri priuatim per modum suffragij donare, vnus pro altero satisfaciendo, quos charitas coniungit, vnde Apostol. *Gal.* 6. *Alter alterius onera portare.* Ergo satisfactiones eiusmodi, possunt etiam in publico Ecclesiæ thesauro relinqui; atque ita, ex supererogationis operibus thesaurus indulgentiarum constituitur. DEINDE. Quod superabundat vsui proprio, aptum est in thesauro reponi. At in operibus satisfactorijs iustorum, multa superabundabant vsui proprio. Ergo in thesaurum indulgentiarum ex illis reponitur. ASSVMPTVM sic deduci potest. Qui satisfacit plus, quàm peccata ipsius meruerunt, illud plus, superabundat vsui proprio. Sed multi iusti, satisfecerunt plus, quàm peccata eorum meruerunt. Ergo in operibus satisfactorijs iustorum, multa superabundabant vsui proprio. MIN. Satisfactio agitur per opera pœnalia. Sed multi iusti plura & grauiora opera pœnalia pertulerunt, quàm eorum peccata meruerunt: nam Beata DEI genitrix virgo, nulla peccata habuit, & tamen grauissimos cordis dolores pertulit, tot afflictiones, vigilias, ieiunia. &c. B. IOANNES Baptista, Sanctificatus in vtero, nullum vnquam peccatum mortale admisit, cui hoc præstitum ob Sanctificationem, diuina eum protegente gratiâ, docet D. Thom 3. *p.* *q.* 17. *art.* 6. *ad* 1. &, vix fortè aliquod veniale leue habuit, opera tamen quam plurima pœnalia tulit, ieiunia tàm austera, denique capite truncatus fuit. Sic & alij plurimi. Iob etiam *cap.* 6. dixit. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret.* Ergo multi iusti, plus satisfecerunt quàm eorum peccata meruerunt. & quoniam non decet perire istas satisfactiones superabundantes, in thesauro Ecclesiæ reponuntur. PRÆTEREA. Si superabundantes satisfactiones iustorum, non conferunt aliquid ad thesaurum indulgentiarum, vna parte frustrabitur ille Articulus fidei, *Credo communionem Sanctorum.* Ergo &c. ANTEC. quia ad integritatem huius articuli, non solùm requiritur, quòd meritum CHRISTI communicetur omnibus, sed etiam quòd bonum superabundans vnius, communicetur alteri indigenti 2. *Cor.* 8. *Vestra abundantia, illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia, vestræ inopiæ sit supplementum.* Sed si superabundantes satisfactiones iustorum, non conferunt aliquid ad thesaurum indulgentiarum, non communicatur bonum superabundans vnius, al-

D. Thom. Suppl. q. 15. art. 1.

D. Thom.

teri indigenti, secundùm omnem modum, quo communicari potest; atque in hoc frustrabitur ille Articulus fidei. Proindeque & Apostolus Coloss. 1. dicebat se *adimplere ea, quæ desunt passionum Christi in carne sua pro corpore eius, quod est Ecclesia,* quia nimirum passiones & satisfactiones eius, communi & publico Ecclesiæ thesauro, multùm deseruiebant.

OBIIC. 1. Quod derogat dignitati & plenitudini satisfactionum CHRISTI, illud sine vtilitate asseritur. Atqui sanctorum superabundantes satisfactiones, conferre aliquid ad thesaurum indulgentiarum, derogat dignitati & plenitudini satisfactionum CHRISTI. Ergo satisfactiones sanctorum, non conferunt ad hunc thesaurum. MIN. Derogat dignitati & plenitudini satisfactionum CHRISTI, dicere eas non esse sufficientes. Sed conferre aliquid ad thesaurum indulgentiarum, satisfactiones superabundantes sanctorum, est profiteri CHRISTI satisfactiones ad hoc non esse sufficientes. Ergo. &c. *Resp.* neg. MIN. Ad probat. d. non ideo satisfactiones iustorum superabundantes, componunt thesaurum indulgentiarum, quasi verò satisfactiones CHRISTI ad hoc non sint sufficientes, sed vt membra assimilentur capiti, Sancti scilicet CHRISTO, dùm, patiendo plus quàm meruerunt, pro alijs satisfaciunt, sicut & CHRISTVS passus, satisfecit pro omnibus. Tùm etiam ne vanæ sint & pereant satisfactiones iustorum, illæ potissimùm, quæ & ipsis facientibus non sunt necessariæ, & alijs non sunt applicatæ. Sæpe enim iusti pœnas sustinent, vel voluntariè accipiunt, non applicando eas in particulari alijs, proindeque sæpè habent satisfactiones quæ neque in ipsis, neque in alijs habent effectum. PRÆTEREA. non raro contingit iustum applicare satisfactiones suas alteri, qui illis vel non indiget, quia plenam remissionem consecutus est, vel certè in illo non habent effectum, propter obicem inuentum in ipso, pro quo offeruntur. Cùm ergo illæ satisfactiones, neque in operante, neque in altero habeant effectum, reponuntur in thesauro Ecclesiæ, vt per publicam potestatem eius, Petro à CHRISTO concessam, fidelibus applicentur, ac per indulgentias dispensentur. Hæc Suarez *disp.* 51. *Sect.* 2. *n.* 11. Denique pertinet etiam ad gloriam CHRISTI, qui tantam virtutem Sanctis suis tribuit, vt non Suarez. solum ipse, sed illi etiam pro nobis satisfaciant.

INSTABIS. Vel ille thesaurus, qui ex satisfactionibus CHRISTI constat, erit finitus, vel infinitus. Vtrumque incommodum. Ergo satisfactiones Sanctorum ad hunc thesaurum, nihil conferunt. MIN: non finis-

finitus, quia hoc est contra dignitatẽ CHRISTI: non etiã infinitus, quia infinitũ est, quod nulla additione augeri potest. Sed cùm addũtur satisfactiones sanctorũ ad thesaurũ satisfactionũ CHRISTI, ille thesaurus augetur tali additione. Ergo non est infinitus. *Resp.* neg. MIN: thesaurus enim satisfactionũ CHRISTI, est infinitus, nunquàm exhauritur, nec potest augeri aliqua additione, ea ratione quâ infinitus est, hoc est formaliter seu intensiuè, per additionem maioris virtutis, quamuis augeatur materialiter seu extensiuè, additione nouarum satisfactionum. Sed hoc modo, fieri additionem infinito non repugnat, vt constat ex ijs, quæ de infinito à Philosophis dicuntur.

OBIIC: 2. Iam adæquato præmio, remunerata sunt bona opera Sanctis in cœlo. Psal. 61. *Tu reddis vnicuiq; iuxta opera sua.* Rom 1. *DEVS reddet vnicuiq; secundùm opera eius,* 1. Cor. 3. *Vnusquisq; propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborem*: imò vltra condignum Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in vobis.* Luc. 6. *Mensuram bonam, & coagitatam, & supereffluentem, dabunt in sinum vestrum.* Ergo non habent, quod ampliùs conferant in thesaurum indulgentiarum. *Resp.* opera iustorum, quantùm ad rationem meriti, adæquato præmio sunt remunerata; atque hoc modo merita Sanctorum, sub propria & formali ratione meriti à satisfactione distincta, nihil per se conferunt, ad effectum indulgentiarum, nec vllo modo indulgentiæ nituntur meritis Sanctorum, quâ merita sunt. Nec enim illi meruerunt Ecclesiæ potestatem concedendi indulgentias, sicut meruit CHRISTVS: nec meruerunt, vt nobis remitteretur pœna omnino gratis, sine vlla satisfactione. Cæterùm quantùm ad rationem satisfactionis, quod superfuit iustis de satisfactione pro suis defectibus, ne dispereat, in thesauro Ecclesiæ reponitur. Nam in quolibet opere iusti, duo ista sunt. *Meritum & Satisfactio*: Meritum, quatenus pro illo operanti dabitur vita æterna, ex iustitia distributiua, secundùm promissionem & conuentionem DEI nobiscum factam, & hoc totum illis remuneratur. Satisfactio verò, quatenus est compensatio pœnæ, seu solutio debiti, & sic, cùm plùs soluant iusti, quàm pro suis peccatis debeant, in thesauro reconditur.

OBIIC: 3. Si superabundantes iustorum satisfactiones, sunt thesaurus indulgentiarum. Ergo vbi sunt tales satisfactiones, est thesaurus indulgentiarum. Sed in veteri lege erant exuberantes satisfactiones, nec tamen fuit thesaurus indulgentiarum. Ergo nec in noua lege hu-

iuſmodi ſatisfactiones theſaurum indulgentiarum conſtituunt. MIN. Si in veteri lege fuiſſet theſaurus indulgentiarum, aliquis vſus illius fuiſſet. Sed nuſquam inuenitur vſus talis theſauri in antiqua lege. Ergo non erat. *Reſp.* in antiqua lege, fuiſſe theſaurum conſtantem ex meritis Sanctorum docet CLEMENS VI. *in Extrauag:* quòd verò vſus talis theſauri non fuit in veteri lege, ſecundùm hunc modum, qui nunc eſt in Eccleſia, inde eſt, quia nondum datæ erant claues regni cœleſtis, nondum aperta erat ianua cœli, nondum aliquis acceperat poteſtatem diſpenſandi, & diſtribuendi hunc theſaurum, quam in noua lege, cum clauibus CHRISTVS contulit Petro.

Clemens VI.

COROLLARIVM 2.

Homines viatores, in gratia conſtituti, per modum authoritatiuæ abſolutionis; Animæ verò Purgatorij, quatenus aliqua ex parte, ſtatum viatorum participant, per modum ſuffragij, fructuum indulgentiæ, capaces efficiuntur.

Etiam huius Corollarij ſingula Capita, ordine conſueto diſcutienda veniunt, pro quo ſit

MEMBRVM I.

Quomodo homo viator indulgentiæ particeps efficitur?

D. Thom. Suarez.

RESP. Viatores homines, fiunt capaces fructuum indulgentiæ, primò per ſe, & per modum authoritatiuæ abſolutionis. Ita D. Thom. *Supp. q.* 71. *art.* 10. Suarez. *diſp.* 52. *Sect.* 1. *n.* 1. Etenim indulgentiæ conceduntur, ad remittendum reatum pœnæ temporalis, citra propriam ſatisfactionem, ex poteſtate clauium. Sed viatores tantùm homines, primò per ſe, poſſunt liberari, citra propriam ſatisfactionem, à reatu pœnæ temporalis, ex poteſtate clauium. Ergo illi tantùm primò per ſe, ſunt capaces indulgentiæ fructuum. MIN. Si præter viatores poſſent aliqui liberari, citra propriam ſatisfactionem, à reatu pœnæ temporalis, per ſe primò, ex poteſtate clauium, illi eſſent aut beati; aut damnati; aut Animæ in Purgatorio. Sed nulli horum. Non beati, quia

illi nullum reatum pœnæ habere possunt, ibi enim nulla est miseria, propter plenitudinem omnis boni, siquidem Beatitudo est status bonorum omnium congregatione perfectus, vt dicit Boetius, *lib. 3. de Consol. Philos. Prosa 2.* reatus verò pœnæ, repugnat statui perfecto, ex congregatione omnium bonorum, *vbi mors non erit vltra, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor*, vt dicitur *Apoc. 21.* Non etiam damnati, iam enim illi non sunt capaces vllius remissionis, aut liberationis. Non denique Animæ in Purgatorio. Illis etenim primò per se remittitur reatus pœnæ temporalis ex potestate clauium, qui subduntur Spirituali iurisdictioni Ecclesiæ, cùm & indulgentiarum concessio, ad hanc remissionem ordinata, sit actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, vt constat ex Cap. *Quod autem, de pœnit. & remiss.* Animæ autem Purgatorij, non subduntur iurisdictioni Ecclesiasticæ, iam enim illæ, ex foro Ecclesiæ decedentes, in manu & foro Dei sunt constitutæ. Deinde. Ille per modum authoritatiuæ absolutionis, fructum refert indulgentiarum, cuius causam Ecclesia cognoscere potest, & de illa iudicare: siquidem nullus authoritatiuè ligari aut solui potest, nisi cuius causa cognoscitur. Sed viatorum tantùm causam Ecclesia cognoscere potest, de illis non ampliùs præsumit, qui hinc discesserunt, & ante Tribunal solius Dei sunt constituti. Ergo viatores tantùm per modum authoritatiuæ absolutionis, fructum indulgentiarum capere possunt.

Boetius.

Cap. Quod autem.

OBIIC. Eandem potestatem habet Pontifex, dùm pro defunctis, dispensat thesaurum Ecclesiæ, atque dûm dispensat pro viatoribus. Sed dispensando pro viatoribus, absoluit eos, à reatu pœnæ temporalis authoritatiuè. Ergo etiam dùm dispensat eundem thesaurum pro animabus in Purgatorio, absoluit eas, à pœna Purgatorij authoritatiuè. *Resp.* Eadem authoritate & potestate, dispensat Pontifex, thesaurum Ecclesiæ, pro viatoribus & animabus in Purgatorio. Sed non eadem authoritate absoluit: aliud est enim dispensare authoritatiuè thesaurum Ecclesiæ, atque aliud absoluere authoritatiuè. Et quidem thesaurum Ecclesiæ, authoritatiuè dispensat Pontifex, tàm pro viuis quàm pro defunctis. Sed viuos etiam authoritatiuè absoluit; pro defunctis, licet authoritatiuè dispensat thesaurum prædictum, non tamen absoluit authoritatiuè, sed tantùm dispensat authoritatiuè thesaurum, vt ex eo per modum suffragij absoluantur.

MEMBRVM II.

An requiratur ſtatus gratiæ, ad fructum indulgentiæ capiendum?

D. Thom. Syluester. Angelus. Suarez: Emanuel Sa.

RESP. Vt alicui valeat indulgentia, neceſſariò in ſtatu gratiæ eſſe debet. Ita D. Thom. *Suppl. q.* 27. *art.* 1. Syluester, Angelus, Suarez *diſp.* 52. *Sect.* 2. *n.* 6. Emanuel Sa. *V. Indulgentia*, eſtque communis ſententia Theologorum *in* 4. *diſt.* 20. ſiquidem in mortali peccato exiſtentibus non proſunt indulgentiæ. Tria enim iſta requiruntur, ad valorem indulgentiarum. Scilicet, Poteſtas in dante, Pietas in cauſa, Diſpoſitio in recipiente, Ergo niſi diſpoſitus ſit, per ſtatum gratiæ, capax indulgentiæ non eſt; etenim homini inimico DEI, quamdiu in peccato exiſtit, nulla fit remiſſio; neque quoad culpam, neque quoad pœnam, quia indignus eſt tali remiſſione, nec congruum eſſe poteſt cur in tali ſtatu remiſſio concedatur. DEINDE. Sicut ſe habet mortuum membrum, ad viua membra in corpore humano Phyſico, ita ſe habet exiſtens in peccato mortali, ad reliquos iuſtos in corpore Eccleſiæ, quia ille in Anima mortuus eſt. Sed mortuum membrum, in corpore Phyſico, non recipit influentiam, à cæteris membris viuis. Ergo qui eſt in peccato mortali, non eſt capax indulgentiarum, quæ fundantur in operibus ſatisfactorijs CHRISTI, tanquam capitis, & aliorum, iuſtorum, tanquam membrorum, per charitatem viuentium.

OBIIC. Valent fauores, qui cum indulgentijs conceduntur, exiſtenti in peccato mortali. V. G. diſpenſatur cum aliquo in voto, tempore Iubilæi, quamuis ille in peccato mortali exiſtat, valet tamen diſpenſatio. Ergo & indulgentia valet. Si enim acceſſorium? ergo & principale propter quod illud, valet. *Reſp.* neg. Conſeq. Valent fauores conceſſi tunc, cùm indulgentijs, etiam exiſtenti in peccato mortali, propter confeſſionem factam Sacramentalem, in qua Confeſſario datur poteſtas, diſpenſandi in votis, quamuis aliquando contingat, informem eſſe confeſſionem, per illam tamen impletur conditio, à Pontifice requiſita, vt diſpenſatio valeat. Indulgentia tamen non valet, poſito in ſtatu peccati mortalis, quia non poteſt eſſe particeps remiſſionis pœnæ, quæ per indulgentias datur, niſi obtenta priùs remiſſione culpæ. Proinde hîc

NOT. Pœnam non poſſe dimitti, niſi dimiſſâ culpâ, ob quam reus eſt aliquis pœnæ, quod non tantùm de peccato mortali, ſed etiam veni-

veniali sentire oportet, qui enim est in gratia, & tamen nondum obtinuit remissionem alicuius peccati venialis, non potest obtinere remissionem pœnæ, etiam per indulgentiam, debitæ illi peccato veniali, quod quidem impedimentum remissionis pœnæ, non prouenit præcisè ex carentia gratiæ, sed ex duratione ipsius culpæ.

QVÆSIERIS. An qui suscipit indulgentiam, necessariò debeat esse in gratia per confessionem? *Resp.* Si in concessione indulgentiæ requiritur confessio, sine illa haberi non potest. Si autem confessio non postulatur à concedente indulgentias, vt etiam, dùm conceditur indulgentia septem annorum, visitanti aliquam Ecclesiam & in ea oranti, certo aliquo die, tunc vt eam indulgentiam aliquis consequatur, non necessariò per confessionem debet esse in gratia, sed sufficit contritio. Vnde tempore Iubilæj, qui confessus est, & incidit in peccatum mortale, antequam impleuit cætera, ad Iubilæum consequendum præscripta, non tenetur iterum confiteri, vt in gratia reliquum perficiat, sed sufficit conteri, quanquam tutiùs est confiteri, ita enim faciliùs consequetur gratiam virtute Sacramenti, ex opere operato. Suarez. *disp.* 52. *Sect.* 3. *n.* 1. Bonacina.

MEMBRVM III.

An animabus Purgatorij prosint indulgentiæ?

RESP. Certum est in doctrina Ecclesiæ, animas in Purgatorio existentes, per modum suffragij, seu indirectè, esse capaces fructuum indulgentiæ, quando sub tali forma conceduntur. Ita D. Thom. *Suppl. q.* 71. *art.* 10. Caietanus *Tom.* 1. *opusc. Tract.* 16. *q.* 5. *&.* 6. Turrianus, & alij quos refert Suarez *disp.* 53. *Sect.* 1. *n.* 3. Et quidem thesaurus satisfactionum CHRISTI & Sanctorum si applicetur à Pontifice animabus in Purgatorio existentibus, prodest illis. Ergo eadem ratione indulgentiæ, quæ de thesauro eiusmodi satisfactionum conceduntur. ANTEC. patet, etenim quod valet ab inferiore priuata donatione, valet à superiore publica dispensatione, postquam in publicum venerit ærarium. Sed valet animabus in Purgatorio, si inferior & priuatus homo, suas eis donet & applicet satisfactiones. Certè valet eisdem animabus, si Pontifex, qui est supremus dispensator thesauri Spiritualis Ecclesiæ, satisfactiones CHRISTI & Sanctorum, illis applicet. D. Thom. Caietanus. Turrianus. Suarez.

MIN.

MIN. Ieiunium, eleemosynæ & orationes, sunt opera satisfactoria, similiter & aliæ afflictiones, patienter toleratæ. Prodest autem defunctis applicare sua ieiunia, quia & Dauid ieiunauit pro Saul & Ionatha & cæteris mortuis 2. *Reg.* 1. Prodest eleemosynas pro illis dare, Tob. 4. *Panem tuum & vinum tuum, super sepulturam iusti constitue.* Prodest eis oratio, 2. *Machab*: 12. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare.* id faciebat Apostolus pro defuncto Onesiphoro. 2. *Tim.* 1. dicens. *Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino, in illa die.* Prosunt & aliæ afflictiones applicatæ defunctis, 1. *Cor.* 15. dicit Apostolus. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro defunctis, si omnino defuncti non resurgent? vt quid & baptizantur pro illis?* DEINDE. Suffragia Ecclesiæ publica prosunt existentibus in Purgatorio, alioquin frustra Ecclesia oraret pro illis: Porrò Dionysius *Cap.* 7. *Eccles. Hierar.* dicit: *Diuinus Sacerdos, pro* Dionysius *mortuis orans, pro illis orat, qui sanctè vixerunt, & tamen aliquas maculas habuerunt, ex infirmitate humana contractas.* Ergo illis prosunt indulgentiæ, quæ pro ipsis per modum suffragij fiunt. PRÆTEREA. Petro traditæ sunt claues regni, vt intromittat omnem, qui est extra regnum, & tendit ad illud; Animæ verò Purgatorij sunt extra regnum cœlorum, & tendunt ad illud. Proindè potestate clauium Petro traditarū, intromitti possunt. Atqui non est alius actus Clauiū Petro traditarum, quo Animæ in Purgatorio existentes, possint intromitti in regnū cœlorū, quàm per indulgentiarū suffragium. Ergo Animæ in Purgatorio existentes, possunt iuuari indulgentijs.

DICES. Potestas clauium, non potest extendi vltra quàm à CHRISTO concessa est. Sed super Animas in Purgatorio existentes, non est concessa. Ergo Animæ in Purgatorio existentes, non possunt iuuari ad ingressum regni cœlestis, per indulgentias potestate clauium concessas. MIN. Potestas clauium in terra tantùm concessa est, iuxta illud. *Quodcunq; ligaueris super terram.* Et, *Quocunq; solueris super terram.* iam Animæ Purgatorij non sunt super terram. Super illas proinde non est concessa potestas clauium. *Resp.* non est concessa potestas clauium, super animas in Purgatorio existentes, directè & principaliter, seu quoad modum iudiciariæ absolutionis, concessa tamen est hæc potestas clauium, per modum suffragij. Deinde quod dicitur potestas clauium, in terra tantùm concessa. aliqui respondent, quòd concessa est Prælato Ecclesiæ, quamdiu in terra manens, regit Ecclesiam, vt Ly *super terram*, referatur ad habentem potestatem clauium: potest autem responderi, quòd pote-

D. Thom. *Suppl. q.* 7. *art.* 10. *c.* Alens. 4. *p. q.* 83. *m.* 6. D: Bonauentura.

potestas clauium, sit concessa super terram i. super eos, qui nondum peruenerunt ad regnum cœlorum. Vt Ly *super terram* referatur ad subiectum, circa quod exercetur potestas clauium; & sic Animæ in Purgatorio existentes, cùm nondum peruenerint ad regnum cœlorum, super eas potestas clauium secundariò & indirectè, vt loquitur D. Thomas, concessa est, vt indulgentijs per modum suffragij & deprecationis iuuari possint. INSVPER. Cùm indulgentiæ ex thesauro satisfactionum CHRISTI & Sanctorum concedantur, certè cui possunt prodesse satisfactiones CHRISTI & Sanctorum, illi possunt prodesse indulgentiæ; non est verò dubium, quin Animabus in Purgatorio existentibus possint prodesse, imò reipsa prosint satisfactiones CHRISTI & Sanctorum: CHRISTI quidem satisfactio, quantùm ex se est, tàm defunctis indigentibus, quàm viuis prodesse potest. Sancti etiam cùm superabundantes operentur satisfactiones, quantùm ex se est, voluntatem habent implicitam, aut etiam explicitam, vt prosint omnibus, etiam Animabus in Purgatorio, ad quas non minùs quàm ad viuos charitas se extendit. Ergo Animabus in Purgatorio, possunt prodesse indulgentiæ, quando hac forma pro illis conceduntur. D. Thom.

OBIIC. 1. Si indulgentiæ prosunt defunctis. Ergo potest Pontifex statim per illas, liberare ex Purgatorio Animas defunctorum. Consequens est falsum: Ergo & Antecedens. MAI. Ex Purgatorio liberantur Animæ, cùm à pœna illa liberantur. Si autem illis prosunt indulgentiæ, per illas statim liberantur ab omni reatu pœnæ. Ergo si illis prosunt indulgentiæ, potest ipsas Pontifex statim liberare per eas ex Purgatorio. MIN. Indulgentiæ, sunt remissiones pœnæ, ita, quòd cuicunque valent indulgentiæ, per illas remissionem pœnæ consequitur, ac proinde si prosunt Animabus in Purgatorio indulgentiæ, per illas statim deberent liberari ab omni reatu pœnæ, maximè cùm pro illis datur plenaria indulgentia, sicut pro viuis solet. *Resp.* neg. MAI. malè enim ex Antecedente, Consequens colligitur. Equidem cui valent indulgentiæ ex authoritate concedentis illas, seu per modum iudicialis absolutionis, ille statim per eas consequitur remissionem pœnæ. Porrò cui valent indulgentiæ tantùm per modum suffragij; non sequitur vt statim per eas liberetur à pœna. Viuis ergo dantur indulgentiæ in remissionem pœnæ, ex authoritate concedentis illas, qui per eas, iudicialiter absoluit à reatu pœnæ, sibi subditos, in quos habet iurisdictionem;

tanquam suæ gubernationi subiectos: Animas autem in Purgatorio, non absoluit Pontifex iudicialiter per indulgentias, quia in eas, non habet amplius iurisdictionem, siquidem ipsi iam tunc sub iudicio sunt DEI. Per modum igitur tantùm suffragij applicat ipsis indulgentias, seu thesaurum satisfactionum CHRISTI & Sanctorum, proinde non potest defunctos pro suo arbitrio liberare à pœna, sed si DEVS acceptauerit suffragia, acceptat autem non pro omnibus, sed pro illis, qui hic meruerunt, vt acceptarentur pro se.

OBIIC, 2. Illi prosunt indulgentiæ, cui conceduntur. Sed defunctis non conceduntur. Ergo illis non prosunt. ASSVMPTVM, ita notificari potest: Ad hoc vt indulgentiæ concedantur, requiritur causa conueniens, scilicet, vt ille cui conceduntur, faciat aliquid in vtilitatem Ecclesiæ. Iam ex parte defuncti, non potest esse talis causa, siquidem ille, non potest aliquid tale facere in vtilitatem Ecclesiæ. Ergo defunctis non conceduntur, nec possunt concedi indulgentiæ. *Resp.* neg. ASSVMPTVM. Quamuis autem defuncti, non possint ipsi facere aliquid in vtilitatem Ecclesiæ, possunt tamen viatores pro illis facere, sicut etiam vnus pro alio potest satisfactionem implere, & tunc valebunt defunctis indulgentiæ, maximè si hac forma conceduntur, vt prosint ipsis.

D. Thom. Suppl. q. 13. art. 2.

PETES. Quid est, indulgentiam dari per modum absolutionis, & per modum suffragij? *Resp.* quia indulgentia per modum absolutionis, ei datur immediatè, in quo effectum habitura est. Nemo enim absoluitur in alio, neque per alium, sed immediatè & directè in seipso, absolutionem recipit. Indulgentia verò per modum suffragij datur, quando alicui immediatè conceditur, vt posit illam alteri applicare si velit. Animabus ergo Purgatorij, indulgentia non conceditur per modum absolutionis, quia non conceditur eis directè, & immediatè in seipsis, sed conceditur alicui viuo, cum hoc addito, vt possit illam applicare alicui defuncto, sicut illi potest applicare suas priuatas satisfactiones: & ob hanc causam, dicitur esse *per modum suffragij*, quia sicut offerre meam propriam satisfactionem, Animæ existenti in Purgatorio est suffragium, ita etiam offerre pro ea satisfactionem, iam mihi quasi donatam, ex communi thesauro Ecclesiæ, est etiam quoddam suffragium. DEINDE, etiam per modum absolutionis indulgentia conceditur, quando authoritate iudiciaria, quæ solùm circa subditos exercetur,

cetur, pœna alicui remittitur; quod iam in Animabus Purgatorij non habet locum, quæ cùm non subijciantur iurisdictioni Pontificis, non potest eas authoritate iudiciaria, à pœnis absoluere, seu indulgentiam eis concedere, per modum absolutionis. Vel, vt concludit Suarez. *disp:* 53. *Sect.* 3. *n.* 15. Indulgentia per modum absolutionis dicitur, quia is qui eam concedit, proximè & immediatè remittit pœnam, tanquam minister DEI, & iudex locum eius tenens. Porro indulgentia per modum suffragij dicitur, quia concedens non remittit pœnam, sed prætium æquiualens offert DEO, vt ipse remittat: tùm etiam quia indulgentia per modum suffragij, potest concedi non subditis, indulgentia verò per modum absolutionis, tantùm subditis, cùm sit actus iudiciariæ popotestatis. Hic Suarez.

NOT. Qui vult lucrari indulgentiam, tam pro se, quàm pro alio, siue viuo siue defuncto, vt cùm sub tali forma conceditur, requiritur vt perficiat tale opus, quale à concedente indulgentiam postulatur. RATIO, quia concessio hæc, conditionata est, quæ non impleta conditione, non sortitur effectum. DEINDE: Qui alteri lucratur indulgentiam, necesse est, vt tale opus faciat, ex intentione & voluntate obtinendi indulgentiam alteri, secus enim, non esset pro illo factum, cui indulgentia procuratur. Tandem in eo, qui lucratur alteri operando indulgentiam, non necessariò requiritur status gratiæ, quamuis sit in peccato mortali, dùm perficit opus, pro quo indulgentia conceditur, alteri tamen lucratur indulgentiam, dummodo recipiens sit dispositus, hic enim effectus, non nititur merito operantis, ita Gabriel, D. Thom. Richard. & alij citati apud Suarem. *Sect.* 4. *n.* 6. Bonacina. Gabriel. D. Thom. Richardus Suarez.

DICES: Non est potioris conditionis peccator, ad lucrandum alteri Beneficium, quàm sibi. Sed si non est in gratia, saltem pro eo tempore vel momento, quo consummatur opus, non potest sibi lucrari indulgentiam. Ergò neque alteri. *Resp.* dispar est ratio. qui enim sibi vult lucrari indulgentiam, necessariò requiritur in eo status gratiæ, non tanquam in operante formaliter, sed tanquam in recipiente: qui autem alteri vult lucrari, nullo modo est recipiens, sed tantùm operans. Status autem gratiæ solùm requiritur ad tollendum obicem indulgentiæ in recipiente, ex quo peccatum mortale quodcunq; non remissum, impedit cuiuscunq; pœnæ remissionem. Hinc

OBSER. Non esse de necessitate indulgentiæ, vt qui facit opera

præſcripta ad conſequendam indulgentiam, toto tempore, quo ſingula opera præſtat, ſit in gratia. ſufficit autem vt ſit in gratia, dúm vltimum opus facit, quo poſito, indulgentia conceditur. Proindeque, qui vltimum opus, in mortali peccato præſtat, non conſequitur indul-
Bonacina, gentiam, poteſt tamen iterum opus illud facere; ſi tempus nondum ſit elapſum.

COROLLARIVM 3.

Iure diuino à Chriſto immediatè ſolus Papa quoad originem & congruentiam, quanquam iure diuino Epiſcopus; propriè tamen, ordinario iure humano; indulgentias concedendi, potiuntur poteſtate.

Quibus indulgentiæ valeant, præcedenti Corollario eſt determinatum; iam modò, penes quos ſit poteſtas faciendi indulgentias, declarandum eſt. Sit proinde

MEMBRVM I.

An poteſtatem faciendi indulgentias iure diuino habeat Summus Pontifex?

RESP. Poteſtatem faciendi indulgentias, in tota Eccleſia, iure diui-
D. Thom. no, immediatè à CHRISTO Summum Pontificem habere, Catholicè
Richard. ſemper tenetur. Ita D. Thom. *Suppl. q.* 26. *art.* 3. *c.* Richar. *in* 4. *diſt.*
Suarez. 20. *art.* 5. *q.* 3. Suarez, *diſp.* 49. *Sect.* 1. *n.* 13. Si enim ab alio, quàm à CHRISTO immediatè, Summus Pontifex haberet poteſtatem faciendi indulgentias, haberet alium, præter CHRISTVM ſe ſuperiorem, quia omnis poteſtas conceſſa, à ſuperiore deſcendit: Summus verò Pontifex, nullum in terra habet ſuperiorem ſe, præter CHRISTVM in cœlis. Ergo poteſtatem indulgentias faciendi à CHRISTO immediatè habet. DEINDE: Eadem eſt ratio de hac poteſtate atque de tota Pontificis iuriſdictione, Totam verò iuriſdictionem, habet Pontifex, iure diuino, immediatè à CHRISTO, cuius eſt in terris Vicarius. Ergo & poteſtatem faciendi indulgentias. PRÆTEREA. Poteſtas concedendi indulgenti-

as,

as; est potestas clauium, à CHRISTO Petro datarum. Sed Petro cui succedit Papa, specialiter & immediatè à CHRISTO claues sunt datæ, Matth. 16. *Tibi dabo claues.* Soli Petro immediatè dictum est Ioan. 21. *Pasce oues meas*, per quod illi promissio illa Matth. 16. facta, impleta est, cum hac potestate. Ergo Pontifex iure diuino, immediatè à CHRISTO potestatem faciendi indulgentias accipit: qui etiam solus plenariam indulgentiam, & in tota Ecclesia facere potest, cùm solus habeat plenitudinem potestatis. Est enim supremus CHRISTI Vicarius, Petri successor, & Caput Ecclesiæ vniuersalis. INSVPER. Nullus inferior Pontifice, immediatè à iure diuino habet iurisdictionem in foro Sacramentali. Ergo neque in foro indulgentiarum. ANTEC: quia iurisdictio omnium inferiorum Pontifice, in foro Sacramentali limitatur, vel augetur ad beneplacitum ipsius Pontificis, quod signum est iurisdictionis ab homine manantis, & non immediatè à CHRISTO. CONSEQ. quia si illud inferiores Pontifice, non habent ex iure diuino immediatè, quod est magis & frequentiùs necessarium, certè neque illud quod est minùs necessarium. Sed iurisdictionem in foro Sacramentali, nullus inferior Pontifice, habet ex iure diuino immediatè, quæ tamen magis & frequentiùs est necessaria. Ergo neque iurisdictionem ad concedendas indulgentias, quæ minùs est necessaria. DENIQVE. Solus Papa iure diuino, immediatè à CHRISTO, accipit iurisdictionem, super vniuersam Ecclesiam. Ergo solus Papa, iure diuino, immediatè à CHRISTO, habet potestatem dispensandi indulgentias, de communi & publico thesauro Ecclesiæ.

OBIIC. Quòd potestas dispensandi indulgentias, immediatè à CHRISTO sit tradita Petro, & successoribus eius: colligitur ex amplitudine & vniuersalitate verborum CHRISTI, Matth. 16. Petro dicentis. *Quodcunq; solueris.* Atqui etiam illa, quæ dicta sunt omnibus Apostolis Matt. 18. *Quæcunq; solueritis*, æquè vniuersalia sunt. Ergo omnibus Apostolis & eorum successoribus Episcopis, immediatè quoque à CHRISTO, tradita est potestas dispensandi indulgentias. *Resp.* Verùm est quidem, verba CHRISTI, vtrobique, prout sonant vniuersaliter sunt intelligenda, cum debita tamen proportione, iuxta circumstantiam loci & sermonis: illa quidem verba dicta Petro, comprehendunt omnem perfectionem Ecclesiasticæ potestatis, quia dicta sunt ad explicandum Summum Principatum, illi promissum, in vniuersam Ecclesiam: iam verò Matth.

18. dicta sunt occasione eorum, , quæ immediatè præcesserunt. *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Nam vt ostenderet futuram in Ecclesia potestatem excommunicandi rebelles, dixit, *Quæcunq; alligaueritis super terram*, colligens peculiarem illum actum excommunicandi, ex vniuersali Ecclesiæ potestate, ad ligandum & soluendum ordinata. veruntamen in illis verbis, non explicat CHRISTVS, apud quem sit futura hæc potestas, sed tantùm quod sit futura in Ecclesia.

MEMBRVM II.

An aliquo modo Episcopi, hanc potestatem habeant, iure diuino?

RESP. Diuino iure, quoad originem & congruentiam, potestatem faciendi indulgentias, habent Episcopi. Ita Suarez, *disp. 55. Sect. 2. n. 5.* Et quidem quoad originem, inde colligitur, quia manat ex potestate à CHRISTO data: dedit enim CHRISTVS hanc potestatem immediatè Petro, per ipsum tamen communicabilem cæteris. Quoad congruentiam verò, quia posito munere & dignitate Episcopali, congruum est, vt habeat coniunctam aliquam iurisdictionem in hoc foro, sicut congruum est, quod sponsus possit bona sponsæ dispensare. Episcopus autem sponsus est Ecclesiæ.

Suarez.

MEMBRVM III.

An potestatem faciendi indulgentias iure ordinario habeant Episcopi?

D.Thom. supra. Bo. uentura. Alens. Palud. Richard.

RESP. Proprium esse Episcoporum, Ordinario iure humano, hanc potestatem habere. Quod enim ad dignitatem Episcopalem specialiter pertinet illud iure ordinario, ita proprium est Episcopis, vt nulli qui sit eis inferior, eo modo competere possit. Porrò dare indulgentias, specialiter pertinet ad dignitatem Episcoporum. Ergo ita proprium est Episcopis, iure humano ordinario, vt nulli eo modo inferiori Episcopis. MIN. nam remittere pœnas reis lege debitas, specialiter pertinet ad dignitatem principum; & ideo sicut CHRISTVS per seipsum, & suo iure diuino, id tantùm concessit suo Vicario, tanquam supremo

Prin-

Principi Ecclesiæ, ita Pontifices suo iure ordinario, solis Episcopis, tanquam proprijs & ordinarijs Ecclesiæ Principibus, eandem potestatem voluerunt communicare, ac proinde dignitati Episcopali, specialiter congruit, dare indulgentias.

DEINDE. Posse delegare iurisdictionem, est signum ordinariæ potestatis; nam delegatus regulariter loquendo, non potest subdelegare: Episcopus autem potest, & ipse concedere indulgentias, potest & alteri delegare concessionem earum. Ergo iure ordinario, hanc potestatem habet. PRÆTEREA. Congruum est vt Principes ordinarij habeant aliquam potestatem ordinariam, ad faciendas aliquas liberales remissiones: & sponsi ad dispensandum bona suæ sponsæ. Sed Episcopi sunt Principes & Iudices ordinarij, & sunt sponsi suarum Ecclesiarum, in cuius rei signum, annulum portant. Ita D. Thom. *Supp. q. 26. art.* 1. Ergo Episcopi ordinario iure, habent potestatem concedendi indulgentias, in quibus fit dispensatio bonorum Ecclesiæ, & liberalis pœnæ remissio. D. Thom.

OBIIC. 1. Indulgentiæ non possunt dispensari iure ordinario, nisi per illum, qui præest toti Ecclesiæ. Sed solus Papa præest toti Ecclesiæ. Ergo ille solus iure ordinario, non etiam Episcopi, dispensat indulgentias. MAI. Quod est commune totius Ecclesiæ, non potest dispensari ordinariè, nisi per illum qui præest toti Ecclesiæ. Sed thesaurus indulgentiarum, est communis totius Ecclesiæ. Ergo non potest ordinariè dispensari, nisi per illum, qui præest toti Ecclesiæ. *Resp.* Solus Papa pro vniuersa Ecclesia cui præest, plenariam indulgentiam dispensare potest. Episcopi tamen, tanquam Iudices ordinarij, in singulis Diœcesibus, ordinario iure concedunt indulgentias, secundùm quod taxatum est à Papa, cum limitatione iuris. Quia potest Episcopus, in Dedicatione alicuius Ecclesiæ, concedere vnum Annum indulgentiæ, in Anniuersario autem talis Dedicationis, & in alio quocunque euentu, occurrente causa sufficiente, quadraginta dies. D. Thom. Suppl. q. 26. *art.* 3. Suarez. *disp.* 55. *Sect.* 3. *n.* 3.

NOT. Quando septem Anni, vel quadraginta dies, vel vnus Annus indulgentiæ conceditur, tunc dies vel Annus, proximè significat durationem satisfactionis pœnitentialis in hac vita pro peccatis exhibitæ, vt si dicatur: *Conceduntur tibi quadraginta dies indulgentiæ*, perinde est, ac si dicatur; *remittitur tibi, tanta pœna Purgatorij, quanta remitteretur per pœnitentiam quadraginta dierum acta; secundùm Canones.* Ita explicat

Soto. Corduba. plicat Soto *in 4. dist. 21. q. 2 art. 1.* Corduba *q. 11.* & alij.

OBIIC 2. Vnicus thesaurus, nonnisi vnicum habet ordinarium dispensatorem. Sed indulgentiarum est vnicus thesaurus. Ergo vnicum tantùm habet ordinarium dispensatorem. Ergo solus Papa, qui vniuersæ præest Ecclesiæ, ordinarius est Dispensator indulgentiarum. MIN. consta, t quia vna Ecclesia, tantùm est vna Sponsa. Ergo vnicum habet thesaurum. *Resp.* vnicus thesaurus Ecclesiæ, vnum habet dispensatorem primarium, & adæquatum: cæterùm sub illo esse alios secundarios, quales Episcopos vocat Nauarrus, non repugnat, quibus hoc competit, ordinario quoque iure, quia ex munere & dignitate; dependenter tamen ab illo, qui eis ex parte clauem communicat,

Nauarrus.

OBIIC. 3. Illa verba Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, non tantùm Episcopis, sed etiam Sacerdotibus dicta sunt. Verba autem ista, comprehendunt etiam potestatem concedendi indulgentias. Ergo concedere indulgentias, non est ita proprium Episcopis, vt & alijs Sacerdotibus non sit commune. *Resp.* neg: MIN. nullo enim modo illa verba comprehendunt potestatem concedendi indulgentias, quia in illis, tantùm fit mentio de remissione peccatorum Sacramentali, & per illa, tantùmmodo deputatur potestas Ordinis, ad suos actus, qualis non est potestas concedendi indulgentias.

OBIIC: 4. Quod potest minor, potest & maior. Sed non Sacerdos, qui est minor Sacerdote, potest esse ordinarius dispensator indulgentiarum: vt, Episcopus electus & non ordinatus, ordinario iure potest concedere indulgentias. Ergo & Sacerdos quilibet, idem facere potest. *Resp.* 1. Potest maior, quod potest minor, si in eodem genere fiat comparatio. *Resp.* 2. Episcopus non ordinatus, minor est Sacerdote, quantùm ad potestatem Ordinis, sed quantùm ad potestatem Iurisdictionis, est maior: quia ergo potestas concedendi indulgentias, non est Ordinis, sed Iurisdictionis. Sacerdos, qui non habet munus Episcopale, non potest esse ordinarius dispensator indulgentiarum: Episcopus autem electus & confirmatus, quamuis non sit Sacerdos, ordinariam habet potestatem concedendi indulgentias, habet enim integram iurisdictionem Episcopalem. Et cùm ex dispensatione thesauri Ecclesiæ indulgentiæ efficaciam habeant, potest Episcopus non Sacerdos eas ordinariè concedere, siquidem ei collata est dispensatio, thesauri Ecclesiæ, cui Ecclesiæ regimen est commissum.

D. Thom. *Suppl. q. 26. art. 2.*

OBIIC:

OBIIC. 5. Sicut Pontifex præest vniuersæ Ecclesiæ, & Episcopus suæ Diœcesi, ita Parochus suæ plebi, seu Parochiæ. Sed Pontifex ordinario iure, de thesauro vniuersalis Ecclesiæ, concedit indulgentias plenarias, & Episcopus de thesauro suæ Diœcesis ordinario quoq; iure. Ergo & Parochus ordinariè, de thesauro suæ Parochiæ. non est enim aliqua congregatio, in qua non sit abundantia meritorum, ex quibus thesaurus constat indulgentiarum. *Resp.* illa comparatio seu proportio Pontificis, Episcopi & Parochi, tenet quoad forum Sacramentale, non verò quoad forum exterius Causarum, & hoc Indulgentiarum, Proinde nullus inferior Episcopo, non Parochus, non Abbas, aut Generalis Religionis, potest ordinario iure, concedere indulgentias, hoc enim propriè pertinet ad dignitatem Episcopalem: Aut enim illud ius, quo inferior Episcopo, ordinariè concederet indulgentias, esset diuinum aut humanum: iam verò certum est, nullum iure diuino ordinariè habere potestatem istam, præter Summum Pontificem. Quòd etiam humano iure inferior Episcopo, nullus ordinariè possit concedere indulgentias, inde liquet, quia nullum eiusmodi ostendi potest; quæcunq; enim iura adferuntur, de Episcopis & Archiepiscopis loquuntur. Quod autem dicitur, posse Parochum, de priuato thesauro suæ plebis seu Parochiæ indulgentias concedere, dicendum, nullam priuatam congregationem fidelium, posse congregare priuatum thesaurum, ex superabundantibus satisfactionibus suorum membrorum. Sed vnus est communis toti Ecclesiæ, qui præcipuè, constat ex Christi meritis, nam aliorum Sanctorum merita, quasi secundaria sunt, & accessoria, & à Christi meritis separari non possunt, in quibus fundantur, & à quibus suam vim & efficaciam habent, ideoq; vnum & eundem thesaurum, cum illis constituunt. Cùm ergo inferior Episcopo, non habeat authoritatem respectu meriti Christi dispensandi, vt in hunc sensum loquitur Alensis *membr.* 3. quod quidem meritum suum, dedit Christus dispensandum Ecclesiæ, & eius Sponsis, ideo non potest de thesauro concedere indulgentias. sed Christus id concessit iure suo diuino, suo Vicario, tanquam supremo Principi Ecclesiæ, & ille suo item ordinario iure Episcopis, tanquam ordinarijs Ecclesiæ Principibus: vnde & quilibet Episcopus concedit indulgentias, non solum ex illis meritis, quæ superfuerunt in sua Diœcesi, sed simpliciter ex thesauro Ecclesiæ, & de omnibus meritis, quorumcunq; fidelium.

Suarez. disp. 54. Sect. 5. n. 5.

OBIIC. Indulgentia est remiſſio & relaxatio pœnæ, peccato remiſſo debitæ. Superiores autem Religioſorum, habent poteſtatem concedendi aliquibus remiſſionem pœnarum, applicando eis merita & ſatisfactiones ſuarum Congregationum, & efficiendo eos participes illarum, admittendo eos ad quandam ſpecialem vnionem cum ſuis Religionibus. Ergo illi ex hoc habent ordinariam poteſtatem concedendi indulgentias. *Reſp* indulgentia eſt remiſſio pœnæ, per ſolutionem de theſauro Eccleſiæ, cuius diſpenſatio non competit Superioribus Religioſorum. Nam aliud eſt, indulgentiam concedere ex theſauro Eccleſiæ, aliud merita & ſatisfactiones, *per modum ſuffragij* offerre. Superiores ergo Religioſorum, in prædicto paſſu, non concedunt indulgentias, ſed tantùm ſuffragia offerunt, & applicant ſua merita & ſatisfactiones, *per modum ſuffragij.* Hic autem

Suarez. *diſp.* 55. *Sect.* 5. *n.* 3 NOT. Duplicia eſſe ſuffragia. Alia quæ per modum impetrationis & meriti, de congruo offeruntur: Alia quæ per modum ſatisfactionis aut abſolutionis applicantur. Priora ſuffragia, differunt ab indulgentia, quia in illis vt ſic, non fit compenſatio pro reatu pœnæ temporalis, nec remittitur pœna temporalis ex iuſtitia, quod fit in indulgentia. Poſteriora etiam differunt ab indulgentia, quia licet per illa fiat ſolutio, & compenſatio ad æqualitatem, obtineantq; ex iuſtitia remiſſionem proportionatæ pœnæ, non tamen poſſunt iam ante facta, applicari ad remittenda peccata, quæ poſtea committuntur etiamſi antea dum fierent, nullum habuerint effectum, ſed pro commiſſis tantùm applicantur, dum fiunt. Et hoc quidem modo quilibet priuatus homo, propria authoritate, poteſt ſuas ſatisfactiones applicare, vel pro ſeipſo, & tunc retinent proprium nomen ſatisfactionis: vel pro alio, tàm viuo quàm defuncto, propter vnionem charitatis, & tunc eſt ſuffragium ſatisfactorium. Poteſt ergo vnuſquiſq; opus ſatisfactorium, tunc quando facit, cui voluerit applicare, & ſi applicatio non habuit effectum, aut in ſe, aut in alio, iam poſtea non poterit amplius illam ſatisfactionem applicare, quia iam non eſt amplius dominus illius operis, ſed tunc tantùm, quando operatur. Porrò in indulgentia, ſatisfactiones iam factæ, & quæ non habuerunt effectum, applicantur ad remittendam pœnam temporalem. Ad quod præſtandum, cùm nulla humana poteſtas fuerit ſufficiens, conceſſit eam CHRISTVS immediatè ſuo Vicario, & per ipſum alijs. Non ergo Superiores Religioſorum indulgentias concedunt,

cedunt, dùm efficiunt aliquos participes ſatisfactionum, in ſuis Religionibus factarum, ſed tantùm ſuffragia applicant, idq; cum intentione & cooperatione ſuorum Religioſorum: quandoquidem neq; Superior in Religione, poterit alicui applicare opus ſatisfactorium ſui Religioſi, niſi ipſe Religioſus applicet, dùm facit, aut formaliter, aut applicando ſe & conformando intentioni Superioris, vt ei valeat, cui vult Superior applicari. Ex occaſione huius reſolutionis;

QVÆSIERIS, An proſit aliquid, admitti ad vnionem & participationem operum Religionis? Et videtur quòd non proſit. Si enim prodeſſet, id propter participationem ſuffragiorum fieret. Atqui ſine tali admiſſione & vnione ad participationem ſuffragiorum, ſufficit particularis intentio, & applicatio ſingulorum Religioſorum, & hæc quidem ſemper eſt neceſſaria. Ergo talis admiſſio non prodeſt. RESPONDENDVM eſt tamen, non parùm prodeſſe talem admiſſionem. Nam hæc admiſſio ordinatur ad participationem ſuffragiorum, vt iam dicitur; ſuffragia autem vnius, tribus modis poſſunt prodeſſe alteri. 1. per modum ſatis factionis, 2. per modum directæ impetrationis, 3. per modum cuiuſdam meriti de congruo. Poteſt enim vnus alteri multa mereri de congruo, propter amicitiam, quam cum DEO habet. Quia enim homo in gratia conſtitutus implet DEI voluntatem, congruum eſt, ſecundùm amiticiæ proportionem, vt DEVS impleat hominis voluntatem, in ſaluatione alterius, ait D. Thom. 1. 2. *q.* 114. *art.* 6. Iam ergo ad propoſitum *Reſp.* illa admiſſio, prodeſt 1. ad meritum de congruo, quod non pendet ex particulari intentione ſingulorum operantium, eò enim ipſo, quô aliquis eſt membrum, vel ſocius huius Religionis, merita eiuſdem Religionis, valent apud DEVM, vt eorum ratione, peculiari auxilio, aliqua bona conferat perſonis ei coniunctis, maximè verò ſi perſona hæc, aliquid petat à DEO, propter merita talis Religionis, quantò enim aliquis magis eſt coniunctus iuſto, tanto magis merita iuſti apud DEVM ipſi valent. 2. prodeſt ad directam impetrationem, fieri enim ſolent orationes aliquæ in Religionibus, generaliter pro membris ſuis. 3. Prodeſt ad ſatisfactiones lucrandas, quæ generaliter applicantur pro fratribus, Benefactoribus, amicis & familiaribus eiuſdem Religionis.

D. Thom.

Suarez. *diſp.* 55. *Sect.* 5.

COROLLARIVM 4.

Causam piam & honestam, effectuiq; seu quantitati Indulgentiæ proportionatam, ad eius valorem necessariò requiri, grauium Authorum subscribit sententia.

Iam de Causa finali, quæ moueat concedentem ad faciendas indulgentias, in isto Corollario decernitur. Nempe, præter motiuum intrinsecum, quod secum habet indulgentia, quod est liberare hominem à pœna, an requiratur aliquod extrinsecè mouens concedentem, quod sit distinctum ab ipso effectu, seu fine intrinseco, indulgentiæ. Sit proinde

MEMBRVM I.

An ad valorem indulgentiæ requiratur causa pia & honesta?

RESP. affirmatiuè, ita D. Thom. *Suppl. q. 25. art. 2.* vbi sic habetur. Causa adsit, quæ in vtilitatem Ecclesiæ, & honorem DEI vergat. Alexand. 4. *p. q. 83. memb.* 4. dicit, *thesaurus Ecclesiæ, duplici de causa exponitur, scilicet propter honorem Christi, & defensionem Christianitatis, vt maior credatur resultare honor DEI, ex concessione indulgentiæ, quam sine illa.* Id ex praxi ipsa constat, quoties enim conceduntur indulgentiæ, causa legitima exprimitur, ad honorem DEI & vtilitatem Ecclesiæ relata. Extirpatio hæreseon, fidei Catholicæ propagatio, & similia, quæ intendit concedens indulgentias. Nam & INNOCENTIVS. X. PONTIFEX MAXIMVS, FŒLICITER MODERNVS, in concessione Iubilæi Vniuersalis ANNO M. DC. XL. VIII. Causam expressit, scilicet *Compositionem motuum bellicorum in Christianitate.* DEINDE. Non debet Pontifex suo arbitratu indulgētias dispensare. Ergo ad hoc requiritur causa pia & honesta. ANTEC. Minister enim non potest dispensare bona Domini sui proprio arbitratu, sed iuxta voluntatem & intentionem Domini, aliàs non esset fidelis & prudens dispensatio, quod tamen est necessarium, iuxta illud Math. 24. *Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus suus, super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?* Pontifex verò in concedendo indulgentias, est minister CHRISTI: 1. Cor.

Cor. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum* DEI: atq; de fidelitate in hoc ministerio subiungit dicens. *Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.* Et 1. Petri 4. *Sicut boni dispensatores, multiformis gratiæ* DEI. Ergo Pontifex non debet suo arbitratu concedere indulgentias, sed iuxta voluntatem & intentionem CHRISTI. PRÆTEREA. Spiritualia bona Ecclesiæ non debent dissipari: nam & ille Villicus Luc. 16. *diffamatus erat*, eo nomine apud Dominum suum, *quasi dissipasset bona ipsius.* Porrò distributio indulgentiarum absq; causa pia & honesta, est dissipatio Spiritualium bonorum Ecclesiæ. Ergo talis causa est necessaria. MIN. Dispendere bona sine discretione, est illa dissipare. Sine causa autem pia & honesta, distribuere indulgentias, tanquam bona Spiritualia de thesauro Ecclesiæ, est illa sine discretione dispendere, proindeq; dissipare.

INSVPER. Ad concedendas indulgentias, sine causa rationabili, non est à CHRISTO data potestas Ecclesiæ. Ergo sine tali causa validè dispensari non possunt. ANTEC. quia nulla potestas à CHRISTO data est in destructionem 2. Cor. 10. *Potestas nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem & non in destructionem vestram.* Atqui dispensare indulgentias, sine causa rationabili, pia & honesta, est in destructionem & perniciem fidelium; sic enim nec in hac vita, nec in Purgatorio pœnas timerent. DENIQ;. Minister DEI, tenetur se conformare operationi Domini sui, sicut causa instrumentalis, conformatur causæ Principali, in cuius virtute operatur. DEVS autem licet sit infinitè misericors & liberalis, non statim remittit omnem pœnam temporalem, vt homines liberet à tali miseria, sed seruat in hoc iustitiæ ordinem. Ergo & Pontifex, qui est minister DEI, debet iustitiæ intendere in dispensatione indulgentiarum, quatenus rationabili dumtaxat causa exigente, dispenset.

Suarez. *disp.* 53. *Sect.* 2. *n.* 5. INNOCEN. III. *in Cap.* Cum ex eo *de pœn. & remiss.*

OBIIC. 1. Sufficit ad validitatem indulgentiæ dispensandæ, intrinsecus finis, scilicet vt liberetur proximus à pœna. Ergo ad hoc non requiritur aliud motiuum extrinsecum, quod moueat concedentem ad indulgentiam dispensandam. ANTEC. quia per indulgentiam applicantur alicui satisfactiones, de thesauro Ecclesiæ, ad liberandum eum à pœna temporali peccato remisso debitá; iam verò ad applicationem satisfactionis, sufficit finis intrinsecus, veluti cùm vnus pro alio satisfacit, vt eum liberet â reatu talis pœnæ. Ergo etiam ad validitatem di-

ſpeſandæ indulgentiæ, ſufficit finis intrinſecus, nec opus erit diſpenſatori indulgentiarum, præ oculis habere motiuum aliud extrinſecum, cauſam aliam, quæ ad gloriam DEI, vel vtilitatem Eccleſiæ referatur. *Reſp.* neg. Ant. ſufficit quidem motiuum ſeu finis intrinſecus ei, qui alterum vult iuuare propria ſatisfactione, quia rem propriam dat, ad liberandum alium à reatu pœnæ, cuius eſt ſuo modo Dominus. Pontifex autem dum concedit indulgentiam, de theſauro ſatisfactionum, non propriam rem dat, ſed alienam, cuius non eſt Dominus, ſed Diſpenſator, proinde debet compenſari expenſum, gloria DEI, & vtilitate Eccleſiæ

OBIIC. 2. Sicut ſe habet remiſſio peccati in foro Sacramentali ad ſuam cauſam, ita etiam in foro indulgentiarum, remiſſio reatus pœnæ. Sed in foro Sacramentali, ſufficit motiuum, vt liberetur proximus à miſeria peccati, ſuppoſita diſpoſitione & capacitate ſubiecti. Ergo & in foro indulgentiarum, ſufficit illud motiuum, vt proximus liberetur à miſeria pœnæ. Ergo non requiritur alia cauſa extrinſeca. *Reſp.* in proportione ſunt forum Sacramentale & forum Indulgentiarum: vnde ſicut in foro Sacramentali cauſa proportionata remiſſionis peccati, eſt talis diſpoſitio pœnitentis, ita in foro indulgentiarum, cauſa proportionata talis effectus, ſcilicet remiſſionis pœnæ, eſt aliquod aliud bonum, pertinens ad pietatem & honorem DEI, Et quamuis in hoc foro, non attenditur ratio iuſtitiæ particularis, attenditur tamen ratio iuſtitiæ communis ſeu legalis, quæ poſtulat, vt huiuſmodi benigna remiſſio, non fiat ſine iudicio, & conſideratione communis boni, quoniam aliter facta, prodigalis potiùs eſſet, quàm liberalis.

MEMBRVM II.

An etiam proportionata cauſa effectui Indulgentiæ requiratur?

RESP. Non ſolùm pia & honeſta cauſa requiritur, vt indulgentia validè concedatur, ſed etiam adæquata ſeu proportionata effectui, & quantitati indulgentiæ, vt maior ſperetur reſultare gloria DEI, ex conceſſione indulgentiæ maioris. Ita Albertus magnus. *in* 4. *diſt.* 20. *art.* 17. D. Bonauent. *eadem diſt. q. vltima.* Richard. Caietanus, & alij citati à Suare *diſp.* 55. *Sect.* 3. Et quidem vt indulgentia concedatur, debet

Albertus Bonauentr. Richard. Caietan. Suarez.

debet esse causa iusta & rationabilis, id enim requirunt Pontifices, Clemens VI. in Extrau. *Vnigenitus* de pœnit. & remiss. Leo X. & Martinus V. Iusta autem & rationabilis causa non esset, nisi etiam proportionata sit quantitati indulgentiæ. Deinde. Finis & actio sunt proportionata. Ergo concessioni indulgentiæ, debet etiam causa, seu finis extrinsecus proportionari. Præterea. Concessio indulgentiæ, prudenter & rectè fieri debet. Si autem causa non proportionatur effectui & quantitati eius (vt quò maior sit remissio, siue intensiuè, quoad grauitatem pœnæ, siue extensiuè, quoad plures personas vel actus, eò maior requiratur causa cum proportione.) Concessio ista, nec rectè, nec prudenter fiet. Ergo proportionari debet causa effectui, & quantitati indulgentiæ. Clemens. VI. Leo. X. Martinus V.

OBIIC. 1. Si causa adæquata seu proportionata effectui & quantitati indulgentiæ ad valorem est necessaria, paruus est fauor in indulgentia, & difficillimum est, punctum æquitatis, seu æqualitatis attingere. Hoc vtrumq; importunum. Ergo non requiritur causa adæquata, sed sufficit causa pia & honesta. *Resp.* neg. propositionem, satis enim est magnus ille fauor, quando per indulgentias remittitur hominibus reatus pœnarum, vltra proprium eorum meritum & satisfactionem. ratio autem iustitiæ & communis vtilitatis postulat, vt hic fauor, cum debita moderatione exhibeatur, scilicet cum causa proportionata. Quod autem objicitur, difficile esse punctum æquitatis attingere, seu adæquationem constituere, inter causam & concessionem indulgentiæ, dicendum est. adæquationem istam non consistere in indiuisibili, sed habere latitudinem, sicut prætia rerum habent latitudinem, rigorosi, moderati & mitissimi prætij, intra rationem iustitiæ & æqualitatis: fieri proinde potest, vt maior & minor indulgentia, propter eandem causam concessa, æque sit valida, potissimùm cum hæc æqualitas seu proportio, non sit ex re ipsa sumenda, sed prout cadit sub prudentem electionem dispensantis.

OBIIC: 2. Si proportionata & adæquata causa requiritur ad concessionem indulgentiæ, non debet propter particularem causam, dari vniuersalis indulgentia, quia non seruatur adæquatio. Sed propter causam particularem, crebrò Pontifices concedunt vniuersalem indulgentiam. vt propter conseruationem vnius Regni, vel Prouinciæ, etiam Iubilæum concedunt. Ergo non requiritur causa adæquata. *Resp.* neg.

Mai.

Mai. Et quidem non semper requiritur, vt causa immediatè pertineat ad totam Ecclesiam, seu aliquam Communitatem, sufficit quod pertineat ad præcipuam aliquam eius partem, vt ad vnum Regnum, vel Prouinciam, cùm bonum partis principalis, sit bonum totius. Hinc etiam quandoq; propter causam personalem, vniuersalis indulgentia conceditur, vt propter impetrandam salutem Regis, aut Prælati Ecclesiæ, quia talis personæ est grauis necessitas, cuius bonum mediatè resultat in bonum Communitatis. Tale erat bonum Petri, qui cùm seruaretur in carcere, *Act.* 12. *Oratio fiebat ab Ecclesia ad DEVM pro eo.* Hic

ROGABIS. 1. Si possit indulgentia concedi, non exigendo à recipiente vllum opus? *Resp.* potest Summus Pontifex absolutè concedere indulgentias, non requirendo vllum opus à recipiente de nouo faciendum, sed præterita respiciendo: vt pietatem, sanctitatem vitæ, personæ talis, vel officia exhibita in vtilitatem Ecclesiæ, vt, si morienti concedat plenariam indulgentiam, quia excelluit in pietate, vel officijs Ecclesiæ exhibitis. Similiter quando ex hac concessione speratur magna vtilitas spiritualis Personæ, vt quia maiori diligentia confessionem faciet, spe indulgentiæ, vel si quis moriens penè diffidat de salute, conceditur ei indulgentia, vt per eam erigatur ad spem non requirendo ab eo opus faciendum. Nam & Paulus volens erigere ad spem, pœnitentem illum incæstuosum, ne abundantiori tristitia absorberetur, & vt non circumueniretur à sathana, 2 *Cor.* 2. veniam seu indulgentiam ipsi cocessit. Proinde

Bonacin.

NOT. Quando in concessione indulgentiæ, præscribuntur aliqua opera facienda, ad lucrandam indulgentiam tunc oportet omnia implere. Ratio. quia non impleta conditione, sub qua aliquid promittitur, illud promissum non obtinetur. Sed Pontifex concedens indulgentiam, sub tali concedit conditione, vt fiat tale vel tale opus, ad eam obtinendam. Ergo qui non implet omnia præscripta, non consequitur indulgentiam.

ROGABIS. 2. An qui mediam partem operis præscripti exhibuit, dimidiam partem concessæ indulgentiæ consequatur? *Resp.* Si id expressè ponitur in concessione indulgentiæ, consequetur. Si non ponitur expressè, non consequetur. Etenim, qui non consequitur integram indulgentiam, prout conceditur, nec minimam eius partem consequitur. Ratio. quia quod per se indiuisibile est, per partes diuidi non potest

Suarez. *disp.* 45. *Se.* 3. *n.* 9.

test, vt punctum. Sed indulgentia dum conceditur in atomo, seu per modum vnius effectus indiuisibilis conceditur. Ergo non potest diuidi per partes, proinde qui non est consecutus integram, nec partem consequetur.

OBIIC: Tradidit Dominus famulo pecuniam, in eleemosynas, dispensandam, quam famulus sibi retinuit, nec in eleemosynas sicut Dominus mandauerat erogauit: tunc autem Dominus indulgentiam lucratur quamuis eleemosyna, opus requisitum à concedente indulgentias, non sit data. Ergo indulgentias lucratur etiam ille, qui non implet omnia requisita, sed aliquod opus prætermisit. *Resp.* negant aliqui, consequi tunc Dominum indulgentias, eo quòd famulus pecuniam non erogauit in eleemosynas. At mihi placet affirmans sententia Emanuelis Sa. RATIO, quia ille Dominus dedit eleemosynam quantùm ex se, quamuis illa non sit accepta ab eis, quibus ille dandam intendebat. Præstitit ille opus requisitum à concedente indulgentiam, quamuis ad executionem non peruenit, ex malitia & fraude famuli, quæ, Domino bona intentione & fideliter operanti, nocere non debet. Hic Emanuel Sa.

NOT. Quando eleemosyna præscribitur, ad consequendum indulgentiam, si absolutè ponitur eleemosyna, non requiritur Summa, cuicunq; statui conueniens, sed quantamcunque quis pro sua deuotione erogabit, consequitur indulgentiam. Quod si cùm determinatione (pro cuiusq; facultate) in concessione indulgentiæ ponatur, tunc standum est intentioni concedentis indulgentiam.

ROGABIS. 3. An qui priuatim visitat Ecclesias tempore Iubilæi, satisfaciat vno die plures visitando? *Resp.* Satisfacit, si oppositum non est expressum à Pontifice. RATIO. quia eadem est ratio de visitatione Ecclesiarum atq; altarium, nam vbi vna duntaxat est Ecclesia, vt in Oppidis & Pagis, altaria visitantur in vna Ecclesia ad consequendum Iubilæum. Sed vna die potest aliquis plura visitare altaria Bonacin. & ibi orare. Ergo & Ecclesias dùm priuatim visitat. MIN. patet, quia potest quis in vno loco constitutus, plura illa altaria visitare, & coram illis orare, faciem ad singula conuertendo, hoc modo satisfaciet obligationi visitationis altarium, & hoc quidem facit vna die.

OBIIC. Ad consequendum Iubilæum, tria ista requiruntur; ieiunium, eleemosynæ, & orationes, seu visitationes Ecclesiarum. Vna autem die non possunt ieiunia absolui. Ergo neq; visitationes Ecclesia-

 rum,

rum, aut largitio eleemosynæ. *Resp.* dispar est ratio ieiunij cum cæteris: ieiunia tribus diebus communiter aguntur, quia id expressè ponitur à Pontifice concedente Iubilæum, vt tribus illis diebus ieiunetur, feria quarta, sexta, & sabbatho, quibus diebus ieiunia celebrantur, ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, adhuc à temporibus Apostolorum, vt etiam his diebus ieiunia quatuor temporum seruantur. Tùm etiam quia vna die non possumus tantùm ieiunare quantùm tribus, etiam physicè loquendo, visitare autem tres Ecclesias aut quinque, & in illis orare tantùm, quantùm requiritur ad consequendum Iubilæum, potest quis vno die. Similiter tantundem eleemosynæ vno die potest dare, quantùm tribus, imò & ampliùs, pro sua deuotione & pietate. Tamen in his omnibus, considerari debet mens & voluntas concedentis indulgentias. Si enim expressè tres dies aut quinque, pro visitatione Ecclesiarum, aut largitione eleemosinæ requirit, standum præscripto eius, sin minus, vna die perfici nihil prohibet.

CONCLVSIO IV.

POtestatem condedarum legum, in conscientia obligantium, in communem Ecclesiæ vtilitatem à Christo cum clauibus collatam Præsulibus, catholicè & verissimè sentitur.

Statuitur hæc Conclusio contra hæreticos, Waldenses, Wicclessum, Hus, Lutherum & alios, qui negauerunt in Ecclesia esse aliquam potestatem, ad condendas leges, quæ in conscientia obligent, solùm illis commissum dicebant, vt adhortentur populum ad seruanda præcepta Dei. Sic ergo Conclusionis istius, singulæ partes sunt examinandæ. Sit proinde

ARTICVLVS I.

Vtrum Præsules habeant potestatem condendarum legum Ecclesiasticarum?

HÆ-

HÆretici negant, vt est apud Vasquezium, *in prima secundæ D. Thom. disp.* 152. dicunt enim sufficere leges naturæ & diuinas, humanas prorsus esse vanas, & contra DEI voluntatem inuentas. Vnde sic argumentantur. Addere aliquid ad præcepta DEI, non est potestas in Ecclesia. Sed condere leges Ecclesiasticas est addere ad præcepta DEI. alia siquidem sunt præcepta DEI, alia Ecclesiæ, quæ adduntur præceptis DEI. Ergo condendarum legum Ecclesiasticarum, nulla potestas à CHRISTO est data. PROPOSITIONEM insinuant, quoniam, *Non est potestas nisi à DEO Rom.* 13. addere autem aliquid ad præcepta DEI, non est à DEO; non vult enim DEVS, vt suis præceptis aliquid addatur, quod patet tam ex veteri, quàm nouo Testamento. In veteri persæpe, Deuter: 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neq; minuetis ex eo.* Et cap. 12. *Quod præcipio tibi; hoc tantùm facito Domino, nec addes quidquam nec minues.* In nouo Testamento Apoc. 22. *Si quis apposuerit ad hæc, apponat DEVS super illum plagas scriptas in libro isto.* Matth. 28. mittens CHRISTVS Apostolos dicit; *Docete omnes gentes seruare omnia, quæcunq; mandaui vobis.* Vbi CHRISTVS non noua Ecclesiæ præcepta, condenda fidelibus, sed sua diuina obseruanda, & ab Apostolis proponenda præcepit. DEINDE. Si Præsules habent potestatem condendarum legum Ecclesiasticarum, illi sunt legislatores. Atqui vnus est tantùm Legislator DEVS. Isai: 33. *Dominus iudex noster: Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse saluabit nos.* Iacob: 4. *Vnus est Legislator & iudex, qui potest perdere & liberare.* PRÆTEREA. Leges & præcepta hominum, sæpè damnantur in scripturis. Ergo condendorum Præsules non habent potestatem. ANTEC. Isai. 29. *Populus iste ore suo & labijs suis glorificat me, cor autem eius, longè est à me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis.* quod CHRISTVS Matth. 15. ad redarguendos hypocritas Pharisæos, d. *Sine causa colunt me: docentes doctrinas & mandata hominum.* Et cap. 23. eosdem reprehendit d. *Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt ea super humeros hominum.* INSVPER. Per quod efficitur grauior conditio Christianorum, quàm fuerit aliquando Iudæorum, ad illud potestas non est in Ecclesia; namq; noua lex Christianorum, suauior est & leuior, quàm fuerit vetus Iudæorum, quæ iugum importabile appellatur. Act: 15. *Quid tentatis DEVM, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neq; patres nostri, neq; nos, portare potuimus?* noua autem *iugum suaue, & onus leue:* Matth. 11. dicitur. Atqui per leges Ec-

clesiasticas, efficitur grauior conditio Christianorum nunc, quàm aliquando fuerit Iudæorum. plures enim sunt modò & difficiliores leges Pontificiæ, quàm fuerint Mosaicæ. Ergo Præsules non habent in Ecclesia potestatem legum condendarum. In oppositum tamen

CONCLVDITVR. Habent Præsules Ecclesiæ, traditam cum clauibus, à CHRISTO potestatem legum condendarum. Summus quidem Pontifex in tota Ecclesia, immediatè à CHRISTO, Legati Sedis Apostolicæ in ijs Prouincijs ad quas mittuntur à Pontifice, Episcopi in suis Diœcesibus, vel à CHRISTO immediatè, vel à Pontifice. Conclusio est secundùm mentem D. Thom. 1. 2. *q.* 95. *art.* 1. Et hæc veritas contra hæreticos, definita est in Concil: Constant *Sess.* 8. Et in Concil: Trid: *Sess.* 7. *can.* 8. quam tractant luculenter Alphonsus de Castro, Driedo, Roffensis, Ioannes Turrecremata, & alij, apud Vasquez. PROBATVR 1. Potestas ligandi & soluendi cum clauibus, tradita est à CHRISTO Præsulibus Ecclesiæ, iuxta illud Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum*, &, *quodcunq́ ligaueris* &c. Sed condere leges est ligare, sicut dispensare in legibus, est soluere. Ergo potestas legum condendarum, tradita est à CHRISTO cum clauibus, Præsulibus Ecclesiæ. PROBATVR. 2. Cui traditur gubernatio Regni, traditur potestas legum condendarum. legibus enim homines reguntur, ad bonum impelluntur, & à malo retrahuntur. Hanc enim legi vim, tribuit Tullius *lib.* 1. de legibus dicens, quòd *lex iubet ea, quæ facienda sunt prohibetq́ contraria.* Sed Præsulibus tradita est gubernatio Regni cœlorum, scilicet Ecclesiæ, Act. 20. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam* DEI, quibus etiam subditi iure diuino tenentur obedire. Ioan: 21. *Pasce oues meas.* Luc. 10. *Qui vos audit me audit, qui vos spernit, me spernit.* Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris.* PROBATVR 3. Qui habet potestatem coërcendi & puniendi delinquentes, habet potestatem leges condendi. Siquidem leges supplicia vitijs, & præmia virtutibus proferunt, vt habet Tullius *lib.* 2. *de Orat.* Sed Præsules Ecclesiæ, habent potestatem coërcendi & puniendi delinquentes, 1. Cor. 4. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* 2. Cor. 13. *Hæc absens scribo, vt non præsens duriùs agam, secundùm potestatem quam Dominus mihi dedit.* Qua potestate frequenter vsus est 1. Cor. 15.

D. Thom. Concil: Constant. Trident: Alphons: Driedo. Roffensis. Turrecré. Vasquez.

excom-

excommunicando incæstuosum; 1. *Tim.* 1. tradendo satanæ Hymenæum & Alexandrum hæreticos, & deinceps. Ergo Præsules habent potestatem legum condendarum. PROBATVR 4, ex vsu, nam fuerunt certæ leges latæ à Præsulibus primitiuæ adhuc Ecclesiæ. Ergo hanc potestatem habent: ANTEC: nam *Act.* 15. in Concilio Ierosolimitano Apostoli congregati statuerunt, vt fideles abstinerent ab immolatis simulachrorum, sanguine & suffocato. Paulus quoq; certa præcepta & leges statuebat fidelibus 1. *Cor.* 7. de Matrimonio fidelis cum infideli 1. *Cor.* 11. *Laudo vos quòd præcepta mea teneatis.* Similiter ad seruanda præcepta & leges aliorum Apostolorum hortabatur *Act.* 15. *Perambulabam Syriam & Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum.* Quæ fuerint ista præcepta? Dionysius Areopagita *cap.* 1. *Eccles. hierar.* dicit duplicis generis fuisse, *partim scripta*, *partim non scripta*. Dionys.

AD argum: *Resp.* Ad 1. neg. Propos: Ad illud. Deuter: 4. & 12. d. non est vetitum addere aliquod nouum præceptum, supra præcepta DEI, multa enim postea à primis in Synagoga addita sunt. Nam *Esther.* 9. latæ erant leges, de Festis celebrandis in mense Adar omnesq; Iudæi susceperunt pro se, & posteris suis obligationem illam, quam non licebat violare. Et 1. *Machab.* 4. Statuit Iudas, vt ageretur dies Dedicationis Altaris in temporibus suis; præcipitur ergo solùm, ne addatur aliquid cum transgressione legis. Ad librum etiam Apocal: prohibetur addi aliquid falsum. Ad illud Matth. 28. dicendum: hæreticis familiare argumentum esse à negatione, sed friuolum, ineptum & captiosum, vt si dicas: In eo loco, nulla est mentio de obseruatione legum Ecclesiæ. Ergo Præsules non possunt leges condere. Neganda Conseq: nondum enim erant tunc leges à Præsulibus latæ, ante CHRISTI Ascensionem, ideo de illarum obseruatione, non fit mentio, Præcepit autem CHRISTVS, vt docerent seruare omnia, quæ ipse illuc vsq; præceperat, sed cùm eos principes Ecclesiæ constituerit, eorum curæ reliquit, vt postea leges fierent ad meliorem Ecclesiæ gubernationem.

AD. 2. *Resp.* Cúm dicitur vnus esse Iudex & Legislator, accipiendum est de primario Legislatore, qui propria sua authoritate, potest leges ferre & mutare, Legislatores autem secundarij, qui & ipsi à DEO sunt iudicandi, possunt esse plures, de quibus Sapientia Prou: 8.

Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.

AD. 3. *Resp.* mandata hominum inania, friuola, & solo spiritu humano introducta, repugnantia diuinis præceptis, & quæ ita obseruanda proponuntur, vt diuinis anteponantur, hæc damnantur, in Scripturis, quales erant ceremoniæ quædam à Pharisæis constitutæ: leges autem humanæ, quæ secundum dictamen rectæ rationis feruntur, non damnantur.

AD. 4. *Resp.* neg. MIN: nam quod attinet ad multitudinem, multò plures erant leges Mosaicæ, quæ obligabant singulos Iudæos, vt illæ de Purificationibus, Sacrificijs, oblationibus, delectu ciborum, &c. Nunc verò paucæ leges Ecclesiasticæ, quæ singulos fideles obligant, vt de Festis celebrandis, de audienda Missa diebus Festis, de Ieiunijs, de Confessione annua, de Communione Paschali. Cæteræ leges, certis tantùm statibus hominum imponuntur. Quantùm ad grauitatem; leges Mosaicæ multò grauiores, & seueriores erant: nam modò licet benignè interpretari legem Ecclesiasticam, vt de ieiunio, & alias huiusmodi: legem autem Moysi non item. Dispensatur etiam nunc in lege Ecclesiastica, in lege Moysi non item.

ARTICVLVS II.

Vtrum leges Ecclesiasticæ obligent in Conscientia?

NEGANT item hæretici esse aliquam legem, à Præsulibus Ecclesiæ constitutam, quæ possit verè obligare in Conscientia. Posse tantùm illos constituere aliquam ordinationem, quæ non obligat, nisi ratione scandali. Ita Caluinus, *lib.* 4. *Instit. cap.* 10. 11. *&* 12. Quod potest adstrui 1. Quod derogat dignitati Christianæ, illud à Præsulibus statui non potest. Sed legibus Ecclesiasticis obligari Christianos in conscientia, derogat dignitati Christianæ, nam dignitas Christiana, est libertas Spiritûs, Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Porrò leges Ecclesiasticæ, si obligent in Conscientia, huic libertati derogant, qua liberati sumus à lege, 2. Cor. 3. *Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum* 1. Cor. 3. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Gal. 4. *Non sumus ancillæ*

cillæ filij sed liberæ, qua libertate nos Christus liberauit. Gal. 5. *State, nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Ergo Præsules non possunt tales leges statuere, quæ obligent in Conscientia. DEINDE. Potestas humana, non potest imponere legem, quantùm ad iudicium diuinum. Sed iudicium Conscientiæ, est diuinum. Ergo Præsules Ecclesiæ, non possunt imponere legem, quæ obliget in Conscientia. MAI. Inferior potestas non potest imponere legem, in iudicio superioris potestatis. Sed potestas humana, quæ fert legem Ecclesiasticam, est infra potestatem diuinam. Ergo non potest imponere legem, quantùm ad diuinum iudicium. In oppos: tamen

CONCLVD: Illæ Constitutiones Ecclesiasticæ, quæ veram vim legis & præcepti habent, obligant subditos in conscientia. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. Maior *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. & alij, qui Articulo superiore sunt citati. Hinc D. Thom, Maior.

NOT: duplices esse Constitutiones, vt obseruat Vasquez. *disp.* 158. *cap.* 3. quædam enim sunt, quæ habent vim, simplicis cuiusdam ordinationis. Aliæ, quæ habent vim legis & præcepti. De his ergo secundi generis, PROBATVR Conclusio 1. De ratione legis est obligatio; dicitur enim lex à ligando, quia obligat ad agendum, vt deducit D. Thomas. 1. 2. *q.* 90. *art.* 1. Sed Præsules Ecclesiæ habent potestatem condendarum Constitutionum, quæ veram vim legis & præcepti habent, vt Articulo superiore deductum est. Ergo Constitutiones huiusmodi ligant in Conscientia. PROBATVR 2. Lex æterna, quam D. Thom. 1. 2. *q.* 93. *art.* 1. definit. *esse rationem diuinæ sapientiæ, secundùm quam, dirigit omnium creaturarum motus & actiones in suos fines*, habet vim obligandi in foro conscientiæ. sed leges Ecclesiasticæ, siquidem iustæ sunt, deriuantur à lege æterna, iuxta illud Prou. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Ergo in conscientia obligant. PROBATVR 3. Cuius transgressio est peccatum, illud obligat in conscientia. Sed transgressio legum Ecclesiæ est peccatum, Ergo obligat in conscientia. MIN: Pœna propriè & simpliciter, non est nisi propter peccatum. Sed transgressionibus legum & præceptorum Ecclesiæ, sunt pœnæ definitæ, Matth: 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* 2. Thess 3. *Si quis non obedit verbo nostro, ne commisceamini illi.* PROBATVR 4. Non minoris sunt momenti leges Ecclesiasticæ, quàm leges ciuiles. Sed hæ obligant in conscientia, vt passim do-

D. Thom.

D. Thom.

docent Scholaſtici *in* 2. *diſt.* 44. Ergo & Eccleſiaſticæ obligant. MIN. Illud obligat in conſcientia, cui iure diuino eſt obtemperandum, Sed legibus ciuilibus, quamuis ſint iuris humani diuino tamen iure eſt obtemperandum. Hinc Apoſtolus, Rom. 13. *Qui reſiſtit poteſtati,* DEI *ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et vltra. *Ideò neceſsitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Ergo obligant in conſcientia.

AD. argum: *Reſp.* Ad 1. negan. MIN. Ad teſtimonia Scripturæ d. Perperam hæretici, per libertatem Spiritûs, intelligunt libertatem ab obedientia legis. Nam talis libertas, carnis potiùs eſt, quàm Spiritûs, Aliter ergo libertas Spiritûs & Chriſtiana eſt accipienda, cuius varij ſunt modi, vt fusè diſputat Driedo *lib.* 1. *de libertate Chriſtiana,* 1. ergo libertas Spiritûs & Chriſtiana, eſt à velamine & cæcitate cordis, qua cæcitate impeditur intelligentia eorum, quæ ad ſpiritum gratiæ & Euangelij pertineat, 2. libertas à iugo ſeruitutis ceremoniarum legalium, de qua Apoſtolus, Gal: 4. *Non ſumus ancillæ filij ſed liberæ, qua libertate* CHRISTVS *nos liberauit.* Et cap. 5. *Vos in libertatem vocati eſtis fratres, tantùm ne libertatem detis in occaſionem carnis.* 3. libertas à ſtatu peccati, de qua Rom. 6. *Liberati à peccato, ſerui autem facti* DEO. 4. libertas à ſeruitute hominum, ne illis ſeruiamus & placeamus contra DEI voluntatem, de qua 1. Cor. 7. *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum.* quem ſenſum aperit Caietanus, ex Chryſoſtomo & Theophilacto. Nihil ergo ex his authoritatibus infertur, pro libertate ab obſeruantia legis, quod volunt hæretici.

Driedo. Caietan. Chryſoſt. Theophil.

AD 2. *Reſp.* Quandoquidem omnis poteſtas humana eſt à DEO, iuxta Apoſtolum Rom. 13. *quiſquis reſiſtit poteſtati humanæ,* etiam in his, quæ ad poteſtatis ordinem pertinent, DEI *ordinationi reſiſtit.* & ſecundùm hoc, efficitur reus, quantùm ad conſcientiam, ait D. Thomas.

ARTICVLVS III.

An finis legis, ſit bonum commune?

NEgatiuè videtur tenendum, 1. Quod ordinatur ad priuatum bonum vnius, eius finis non eſt bonum commune. Sed lex ordinatur

ad

ad priuatum bonum vnius. Ergo bonum commune non est finis eius. MIN: Quod ratione consistit, non solùm ordinatur ad bonum commune, sed etiam ad bonum priuatum vnius. Atqui lex ratione constat, vt dicit Isidor: *in lib. Ethimol:* nam ad legem pertinet præcipere & prohibere, quod est rationis, vt etiam D. Thom. dicit 1. 2. *q.* 90. *art.* 1. *in argum.* Sed contra: Ergo lex ordinatur, ad priuatum bonum vnius. DEINDE. Actus humani sunt in particulari. Sed lex dirigit actus humanos, cùm sit regula & mensura actuum, secundùm quam inducitur quis ad agendum, vel ab agendo retrahitur, vt ait D. Thom. *loco supra dicto c.* Ergo lex refertur ad bonum particulare. In contrarium tamen D. Thom. D. Thom.

CONCLVD: Tàm Ecclesiastica, quàm ciuilis lex, in bonum commune refertur. Ita communiter Theologi & Iuristæ. D. Thom. *q.* 90. *art.* 2. Alphonsus de Castro *lib.* 1. *de lege pœnali: c.* 1. Dominicus Soto. *lib.* 1. *de iustitia & iure q.* 1. *art.* 2. Caietanus *in Summa*, & alij. PROBATVR 1. authoritatibus: Arist. *lib.* 4. *polit. cap.* 1. *Sunt leges omnes ad rempublicam accommodandæ.* Tull. *lib.* 2. *de legibus. Constat profectò ad salutem ciuium, ciuitatumq́ incolumitatem, vitamq́ omnium quietam & beatam, conditas esse leges.* PROBATVR 2. De ratione legis est, vt sit iusta & honesta. Sed nisi in commune bonum referatur, non erit iusta aut honesta, si videlicet respiciat priuatum bonum contra commune. Ergo lex in commune bonum refertur. PROBATVR 3. Quod pro omnibus constituitur, in commune bonum refertur. Sed lex pro omnibus constituitur; est enim lex commune præceptum, vt habetur. *l.* 1. *ff. de legibus*, &, *in* L. *iura* vbi sic dicitur. *Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* Ergo lex in commune bonum refertur. Hinc Isidorus. *Lex nullo priuato commodo, sed pro communi vtilitate ciuium est constituta.* D. Thom. Alphons. Soto. Caietan: ff. de leg.

AD. Argum: *Resp.* Ad. 1. neg: MIN: Ad Probat: d. multa constant per rationem practicam, sed non omnia rationem legis habent, nihil enim rationem legis habet, nisi per ordinem ad vltimum finem. Lex enim maximè respicit ordinem, qui est ad beatitudinem, & ad eam regulat actus humanos. Cùm ergo constent multa per rationem, quæ non ordinant ad bonum commune, i. ad vltimum finem, meritò legis rationem non obtinent.

AD. 2. *Resp.* licet actus humani sint particulares, referuntur tamen

ad bonum commune, ſcilicet ad finem vltimum, ſicut partes referuntur ad totum, proinde & lex ordinans tales actus, bonum commune intendit.

COROLLARIVM I.

Leges Eccleſiaſticas, etiam ſub mortali quandoq; obligare, & cum periculo vitæ: quoties maius bonum conſequitur ex obſeruatione legis, quàm ex tutela propriæ vitæ, inficiandum non eſt.

De poteſtate, ſeu obligatione legis Eccleſiaſticæ, Corollarium præſens duo membra complectitur, quæ facilitatis cauſa, ita ſunt proponenda.

MEMBRVM I.

An lex aliqua humana poſſit obligare ſub mortali peccato?

RESP. Sententia Gerſonis *in tractatu de vita ſpirituali*, fertur fuiſſe, legem humanam, quatenus humana eſt, & à ſola poteſtate humana profecta, non poſſe obligare ſub mortali, ſed tunc ſolùm, quando vim habet à lege diuina, idem præcipiente. Veruntamen in oppoſitum colligitur, quòd leges humanæ, tàm ciuiles quàm Eccleſiaſticæ, aliquando ſub mortali, aliquando ſub veniali obligant. Ita Suarez *lib.* 3. *de legibus cap.* 24. Vaſq: *diſp.* 158. *in* 1. 2. RATIO eſt, nam ex diuerſitate materiæ & circumſtantiarum in legibus, naſcitur diuerſitas obligationis. Si enim materia grauis eſt, lex obligat ſub mortali; ſi materia leuis, ſub veniali, vt conſtat in lege diuina de furto. Sed in legibus humanis, inuenitur diuerſitas materiæ, ſecundùm grauitatem & leuitatem. Ergo leges humanæ, ſecundùm grauitatem materiæ, obligant ſub mortali, & ſecundùm leuitatem ſub veniali. DEINDE. Leges diuinæ aliquando obligant ſub mortali, vt lex prohibens idololatriam, homicidium, adulterium; aliquando ſub veniali, vt lex prohibens leue mendacium. Atqui in hoc, par eſt ratio legum humanarum. Ergo etiam leges humanæ, aliquando ſub veniali, aliquando ſub mortali obligant

Gerſon.

Suarez.
Vaſquez.

gant. MIN: Paritas obligationis legum sub mortali & veniali, oritur ex paritate necessitatis legum seruandarum. Sed par est necessitas seruandarum legum humanarum atq; diuinarum: quia sicut iure diuino & naturali, necesse est seruare leges diuinas, ita etiam seruare humanas, eadem est necessitas iuris diuini & naturalis. DEVS enim & natura ipsa, docet Superioribus obediendum esse, in rebus licitis & honestis. Ergo pari ratione leges humanæ obligant, aliquando sub mortali, aliquando sub veniali, sicut & diuinæ. PRÆTEREA. Nemo sibi damnationem acquirit, nisi propter peccatum mortale. Sed aliquando transgrediens legem humanam, damnationem sibi acquirit. Ergo aliquando lex humana sub mortali obligat. MIN: *Qui resistit diuinæ ordinationi, damnationem sibi acquirit.* Rom: 13. Ast transgrediens legem humanam, aliquando diuinæ ordinationi resistit. Ergo transgrediens legem humanam, aliquando damnationem sibi acquirit. MIN. *Qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit*, Rom. 13. Transgrediens autem legem humanam, resistit potestati legem statuenti. Ergo DEI ordinationi resistit. Constat ergo legem humanam, aliquando sub mortali obligare.

QVÆRES. Vnde cognoscatur lex obligare sub mortali, aut sub veniali? *Resp.* assignantur ad hoc certæ regulæ, 1. est *intentio iusta & rationabilis Legislatoris*; si enim Legislator vult, vt lex obliget sub mortali aut sub veniali, ita obligat: ita Caietanus, Angelus, Syluester, & alij. Iusta inquam & rationabilis intentio Legislatoris esse debet, vt secundum grauitatem vel leuitatem materiæ legis, intendat sub mortali vel veniali obligare. Quanquam & in materia, quæ in se leuis apparet, potest sub mortali obligare, si grauis sit in ordine ad finem, à Legislatore intentum, vt constat de abstinentia à fructu arboris Adæ præcepta, quæ licet in se parua fuit, respectu tamen finis intenti à DEO, fuit grauis. Præcipiebatur enim illi, in recognitionem obedientiæ DEO debitæ, & in tributum subiectionis humanæ ad DEVM. 2. est *grauitas pœnæ quæ transgressoribus legis imponitur.* Non tamen colligi potest obligatio sub mortali, ex eo præcisè, quòd pœna grauis imposita est transgressori, sed ex eo, quòd grauis pœna, quam prudens Legislator imposuit transgressoribus, est magnum signum, materiam legis esse grauem, nam prudens Legislator, non solet grauem pœnam apponere, nisi in re magni momenti. 3. est *grauitas & vtilitas materiæ.* Nam si res quæ præcipitur aut prohibetur, est magni momenti, & valde

Caietan: Angelus Syluester.

vulis ad commune bonum, vel promouendum vel impediendum, tunc lex obligat sub mortali, nec est in potestate legislatoris vt non obli-
Vasquez. get sub mortali. Ita Vasquez: *disp.* 158. *cap.* 4. Ratio illius est, quia quamuis pendeat ex voluntate legislatoris, præcipere, & non præcipere, ex quo tamen semel præcepit, vis obligandi deriuatur ex iure naturali & diuino, cùm vtrumq; ius statuat, obediendum esse Superiori. Quod si parui momenti res est, nec multùm prodest aut obest,
Becanus. iam obligat sub veniali tantùm, nec est in potestate legislatoris, vt obliget sub mortali. Plura lege apud Becanum *in* 2. *p. Tract.* 3. *cap.* 6. *q.* 3. qui succinctè & dilucidè omnia tractat & explicat.

OBIIC: 1. Peccatum mortale, meretur pœnam æternam. Sed transgressio legis humanæ quatenus humana, & à sola potestate humana profecta, non meretur pœnam æternam. Ergo lex humana non obligat sub mortali, tunc enim transgressio eius mereretur pœnam æternam. MIN: Vt quis mereatur pœnam æternam, oportet cognitione ipsam attingat, quemadmodum etiam vt consequatur præmium, oportet cognitione attingat illud. Sed lex humana, ex seipsa non attingit cognitione sua pœnam æternam, sicut neq; præmium, hæc enim spectant ad finem supernaturalem & plusquam humanum. Ergo transgressio legis humanæ, quatenus humana, & à sola potestate humana profecta, non meretur pœnam æternam *Resp.* neg: MIN: ad probat: d. Lex humana vt obliget sub mortali, & sub priuatione æterna finis supernaturalis, non est necessarium vt cognitione sua attingat finem supernaturalem; sed quia homo sua trangressione legis, constituitur dignus æterno supplicio, & priuatione finis supernaturalis, etiamsi ille qui peccat, nihil nouerit de æterna pœna, eo solùm, quòd contra rectam rationem operatur, qui enim sic operatur, malè agit, ac proinde dignus est pœna, secundùm qualitatem delicti. Siue etiam quia facit id, quod DEO grauiter displicet, proinde eius amicitiam erga hominem dissoluit, & ex se, pœnam æternam meretur.

OBIIC: 2. Ad illam pœnam potest Legislator obligare, quam ipse in suo foro potest infligere. Sed nullus Legislator humanus, potest infligere pœnam æternam. Ergo nec obligare ad eam. Ergo nec ad culpam mortalem, quæ reos constituit homines talis pœnæ. *Resp.* non ideo transgressor legis humanæ meretur pœnam æternam, quòd eam Legis-

Legislator possit irrogare, sed quia transgressione sua, ipsâ pœnâ dignus efficitur, per hoc quia dissoluit amicitiam cum DEO, faciens illud quod DEO displicet; nam DEO displicet, non parere Legislatori humano, iusta præcipienti. Notat autem hîc Vasquez, non esse sermonem de pœna arbitraria, quam Legislator imponit, pro maiore custodia legum, sed de pœna, quam quis ex natura rei, absq; vllo consensu legislatoris, ob transgressionem incurrit, & qua quis dignus efficitur, eo quòd obligatio præcepti humani, deriuatur ab æterna lege & naturali, vt ostendit D. Thom. *q. 95. art.* 2. Vasquez. D. Thom.

OBIIC. 3. peccatum mortale tollit gratiam. Sed nulla lex humana, potest aliquem priuare gratia, sicut nec aliquis homo potest producere gratiam, cùm sit effectus iste supernaturalis. Ergo nulla lex humana potest obligare sub peccato mortali, quo tollitur gratia. *Resp.* Verum est, Legislator humanus, minimè efficienter gratiam aufert, sed transgressor legis humanæ, peccato suo, illam sibi aufert, eô quia transgressus est legem, sub mortali obligantem.

MEMBRVM II.

An lex humana possit obligare cum discrimine vitæ?

RESP. Sententia fuit Almaini, dicentis nullam legem humanam, posse obligare cum dispendio vitæ. *Tract.* 1. *moralium*, *cap.* 3. *conclus.* 4. Idem videtur asserere MAIOR. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. Pro determinatione tamen Almainus Maior.

COLLIGITVR. Quando prudenti arbitrio legislatoris, aut aliorum, obseruatio legis humanæ, plùs vtilitatis adfert ad bonum commune aut Religionis, quàm tutela propriæ vitæ: & transgressio legis, plùs nocet bono communi, aut Religionis, quàm amissio propriæ vitæ, tunc lex humana, cum discrimine vitæ obligat. Et è contra. tunc lex non obligat cum discrimine vitæ, quando vtilitas, quæ nascitur ex legis obseruatione, non est maioris momenti, quàm vita eius, qui legem seruare debet. Lex enim debet esse secundùm rationem. Ita Vasquez. *disp.* 161. *cap.* 2. Becanus *q.* 4. *conclus.* 2. RATIO assertionis, nam qui habet potestatem super bonum commune administrandum, habet potestatem obligandi cum discrimine vitæ, propter vtilitatem commu- Vasquez. Becanus.

nis beni. Sed Legislator humanus, habet potestatem super bonum commune administrandum, ille enim debet prospicere de communi vtilitate. Ergo quando iudicat prudenter maiorem vtilitatem futuram bono communi, si aliquis propter illud, vitæ discrimen subeat, habet potestatem ad hoc obligandi. MAI: Qui habet potestatem super totum, habet etiam super partes. Sed vita priuati hominis, est pars boni communis. Ergo qui habet potestatem super bonum commune dispensandum, habet potestatem obligandi cum discrimine vitæ, vbi iudicat id exposcere vtilitatem boni communis. DEINDE. Quilibet homo, ita bono communi seruire debet, vt sit paratus vitam discrimini pro illo exponere. Nam bonum commune, semper est præferendum bono priuato. Atqui lex ordinatur ad bonum commune, quod prospicit & curat, *vt supra art. 3. dixi.* Ergo lex quæ respicit bonum commune, vbi maior vtilitas speratur, ex seruato quod lege præcipitur, quàm conseruatione propriæ vitæ, potest obligare cum discrimine vitæ; ita etiam dux, obligat militem ad pugnadum pro bono communi, cum discrimine vitæ. PRÆTEREA. Quod subditur gubernationi legislatoris, illud pro tuendo & augendo communi bono, dispensare potest. Sed vita priuati hominis, subditur gubernationi legislatoris. Ergo pro tuendo & conseruando bono communi eam dispensare potest. Sicq; statuere potest legem, quæ obliget cum discrimine vitæ, quãdo iudicatur ex lege illa seruata, maior vtilitas ventura bono communi, vitã priuati hominis. MIN. Bonum commune subditur gubernationi legislatoris. Sed Vita priuati hominis, continetur in bono cõmuni, sicut pars in toto. Ergo vita priuati hominis subditur gubernationi legislatoris.

OBIIC: 1. Vbi duæ leges contraria præcipiunt, tunc illi obtemperandum quæ magis obligat. Sed lex naturæ, quæ præcipit vitam tueri & conseruare, magis obligat. Ergo lex humana, quæ minùs obligat, non potest derogare legi naturæ, vt contra illam obliget ad dispendium vitæ. *Resp.* quòd propter maiorem vtilitatem boni communis, aliquis incidit in discrimen vitæ, per hoc non derogatur legi naturæ, de tuenda propria vita, siquidem bonum commune, secundùm omnem legem, est præferendum bono priuato. Legislator igitur humanus, nihil facit in præiudicium legis naturæ, quòd obligat aliquem, cum discriminine vitæ, ad tuendum & promouendum bonum commune, sed cùm aliqui ex multitudine, ob conseruationem boni communu-

munis, vitam propriam, tanquam bonum priuatum, debeant exponere, etiam iure naturæ; Legislator humanus determinat, per quos id præstari expediat; atq; ita vt dixi, potest Dux præcipere militi, ne deserat suam stationem, etiam cum discrimine vitæ; manetq; ad hoc præstandum verè obligatus.

OBIIC. 2. Ad opera supererogationis, & quæ excedunt communem hominum facultatem, lex humana obligare non potest. Subire autem discrimen vitæ est opus supererogationis, longèq; difficillimum, quod excedat communem hominum facultatem. Ergo cum discrimine vitæ, non potest obligare lex humana. *Resp.* Ad opera supererogationis citra spem maioris vtilitatis in bono communi, lex humana obligare non potest, sine ratione enim esset obligatio: vbi verò respectus habetur magni prouentûs & vtilitatis boni communis, sic obligare potest. Simili modo potest Episcopus obligare Parochum, ne tempore pestis à Parochia recedat, etiam si periclitetur vita illius.

OBIIC. 3. Ecclesia laudibus celebrat Martyrem, quòd legem DEI cum discrimine vitæ seruauerit. *Iste Sanctus pro lege DEI sui certauit vsq; ad mortem.* Sed nusquam eo modo aliquis laudatur, quòd simili ratione, legem humanam seruauerit. Ergo lex humana, non potest obligare cum discrimine vitæ. *Resp.* argumentum à negatione ductum est, proinde vt captiosum, nihil concludit.

COROLLARIUM 2.

Quanquam in actus purè internos, qui interiùs consummantur, nulla lex humana habet potestatem: illi tamen qui per externa signa manifestantur, non per se, aut primariò, sed secundariò, & ratione externi operis, præcepti aut vetiti, aliquando humanæ legi subijciuntur.

QVI actus humani subijciuntur regulæ legis humanæ, & in quos habeat potestatem, siquidem alij sunt purè interni; alij interni quidem, signis tamen externis manifestati, in hoc Corollario determinatur. Sit proinde

MEM-

MEMBRVM I.

An actus purè interni, cadunt sub legem humanam?

Adrianus Medina. *RESP.* Fuerunt multi existimantes legi humanæ subijci, etiam actus internos. Huius sententiæ fuit Adrianus, *Quodlib.* 8. *art.* 1. Medina, & alij. In oppositum tamen

D. Thom. COLLIGITVR. Nulla lex humana potest in actus purè internos, qui interiùs consummantur. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 91. *art.* 4. *c. ratione tertia.* Et, *q.* 100. *art.* 9. *c.* & alij quàm plurimi: quos citat Vasquez. Vasquez. *disp.* 190. *cap.* 2. Ratio D. Thomæ. 1. quia de illis tantùm potest homo legem facere, de quibus potest iudicare. Sed homo non potest iudicare de interioribus actibus, qui interiùs consummantur. Ergo homo non potest facere legem, de actibus purè internis, qui interiùs consummantur. MIN. Quod enim latet hominem, de illo iudicare non potest. Iudicium enim rectum, cognitionem causæ prærequirit, nisi fortè ratiocinari de coloribus quispiam velit, Aristot. ortus cæcus, vt dicit Arist. *lib.* 2. *phys. Tex.* 6. Actus enim interni, qui consummantur interiùs, latent hominem: *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritùs hominis, qui in ipso est?* dicit Paulus. 1. Cor. D. Thom. 2. Ergo de illis iudicare non potest. RATIO 2. D. Thomæ. *q.* 100. *art.* 9. Illud propriè cadit sub legis præcepto, ad quod lex cogere potest, & pro quo pœna legis infligitur. Sed ad actus purè internos, non potest cogere lex humana, nec pro illis pœnam infligere potest. Ergo tales actus sub legem humanam cadere non possunt. MIN. quia lex pœnam infligit ex iudicio, homo autem qui est lator legis humanæ, non iudicat nisi de exterioribus actibus 1. Reg. 16. *Homo videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor.* proindeq; solus DEVS iudicat de purè internis. Ps. 7. *Scrutans corda & renes* DEVS.

OBIIC: 1. Consensus in peccatum, ira in animo absconsa, odium, & similia, sunt actus purè interni, qui interiùs consummantur. Sed huiusmodi actus cadunt sub legem humanam Ecclesiasticam, nam Ecclesia præcipit semel in Anno tales actus confiteri, præcipit confiteri internum consensum in peccatum mortale, cùm præcipit omnia peccata mortalia confiteri. Ergo actus purè interni subijciuntur legi humanæ.

Resp.

Resp. De confessione annua duplex est præceptum, Diuinum & Ecclesiasticum. Et quidem Ecclesiasticum est, quo iubemur suscipere Sacramentum absolutionis semel in anno. Diuinum est, quo iubemur facere integram Confessionem, ob quam integritatem, etiam interiora purè peccata debent exponi. Lex ergo Ecclesiastica, non præcipit per se & directè, confiteri occulta peccata. Nam neq; punire potest eum, qui talia non est confessus. Sed lex diuina, per se & directè talia confiteri præcipit. Lex autem Ecclesiastica, tantùm per accidens & indirectè, in quantùm præcipit semel in anno confiteri. In hoc enim includitur, quod integra debeat fieri Confessio. Celans ergo in Confessione illa annua peccata cordis, & purè interna, non peccat contra legem Ecclesiasticam, sed peccat contra legem Diuinam.

OBIIC: 2. Qui potest dispensare aut irritare actum, potest eundem præcipere aut prohibere. Par enim esse ratio videtur. Sed Ecclesia potest dispensare aut irritare actus internos votorum. Ergo potest præcipere, aut prohibere, actus internos. Ergo actus interni legi humanæ subijciuntur. *Resp.* 1. Dispensat Ecclesia vota interna, non præcisè, quatenus interna, sed prout exteriùs producuntur & explicantur. *Resp.* 2. neg: MAI. aliud est enim dispensare in voto purè interno, aliud præcipere aut prohibere actum purè internum. Tùm quia potestas dispensandi, non est coactiua, sicut potestas legem ferendi. Tùm quia dispensatio respicit internam pacem & quietem Animæ, Lex humana respicit externam gubernationem. Tùm deniq;, quia obligatio Voti, oritur ex interno actu, nec indiget exteriori signo, obligatio verò Legis humanæ non oritur ex interno actu, nisi adsit externa promulgatio. *Ita Becanus.*

OBIIC: 3. Credere aut non credere, sunt actus interni. Rom: 10. *Corde creditur ad iustitiam.* Sed Ecclesia excommunicat in Concilijs eos, qui contrarium credunt ei, quod in Concilijs definitur. Ergo actus purè interni Legi Ecclesiasticæ subijciuntur, siquidem de illis iudicat & punit, *Resp.* Excommunicat Ecclesia non credentes, non eos, qui internam fouent hæresim, de hoc enim non iudicat Ecclesia, qui in animo dumtaxat sunt hæretici, sed in eos fert sententiam excommunicationis, qui aliquo signo externo, animum infidelitatis ostendunt, quod quidem signum aut opus externum, tale esse debet, quod ex se aliquomodo indicet effectum hæresis. Ita Vasq: *disp.* 160. *cap.* 5. *n.* 20.

Becanus.

Vasquez.

N OBI-

OBIIC: 4. Attentio in recitatione Horarum Canonicarum, est actus purè internus. Sed Lex Ecclesiastica præcipit talem attentionem, Cap. Do-lentes. *Cap. Dolentes, de Celebr. Miss.* Ergo Legi Ecclesiasticæ, actus purè interni subijciuntur. *Resp.* Attentio in recitatione diuini Officij, non est præcepta iure Ecclesiastico, sed iure diuino annexa orationi. Oportet D. Thom. enim attentam esse orationem, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. adeo vt peccet, si quis ex proposito mente euagetur vt dicit *ad* 3. hinc illud Ioan: 4. *Spiritûs est DEVS, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Et Apostolus 1. *Cor.* 13. dicit. *Si orem lingua, mens mea sine fructu est.* Ecclesia tantùm prohibet externam distractionem & occupationem, vt attentio interna, quæ iure diuino præcepta est faciliùs haberi possit.

Cap. Commissa OBIIC: 5. In Cap. *Commissa § cæterùm. de electione in 6.* statuitur, vt ille, qui susceperit beneficium Parochiale, sine intentione suscipiendi debitum ordinem intra annum, nisi reuera postea mutata voluntate susceperit illam, debeat resignare beneficium, & restituere fructus illius anni. Ergo Lex Ecclesiæ ordinat de actibus internis *Resp.* Qui suscepit beneficium Parochiale, priuatur fructibus, ob intentionem non suscipiendi debitum ordinem, non Lege Ecclesiasticâ, sed Lege naturali, declarata & determinata per Ecclesiam. Nam Lex naturalis est, vt is, qui non habet animum seruiendi Ecclesiæ Parochiali, careat fructibus tali seruitio annexis; talis enim est Lex naturalis, de qua Apost. 2. *Tess.* 3. *Si quis non vult operari, nec manducet.* Ecclesia ergo declarat, eum priuari fructibus, iure naturali, si intra annum, non incipit seruire.

MEMBRVM II.

An interni actus, interiori signo manifestati, sub Legem humanam cadant?

Ita Caiet. in Summa *Verbo excom: cap.* 3 Domin. Soto. *lib.* 10. *de iustit: q.* 5. *art.* 5.

RESP. Actus interni, manifestati signis externis, aliquando cadunt sub Legem humanam, ratione externi operis, quod per se legi subditur. In hunc sensum dixit Tullius *lib.* 3. *Offic.* *In ipsa deliberatione facinus inest, etiamsi ad id, non peruenerit.* Et, pro Milone. *Non exitus rerum, solùm sed & hominum consilia legibus vindicatur*, RATIO asserti est, quia dum prohibetur Lege humana aliquid per se & primario,

riò, prohibetur per accidens & secundariò id, quod ei adiunctum est. Sed interni actus humani, externis sunt adiuncti, imò actus externi, quatenus humani sunt, non fiunt sine internis. Ergo dum cadunt sub Legem humanam, per se & primariò actus externi, cadunt etiam per accidens & secundariò actus interni. Dùm enim Lex Ecclesiastica per se & primariò, prohibet violationem festi externo opere, ratione eius prohibet, internum actum voluntatis, talis violationis. Et ad hoc possunt referri argumenta, in priore membro, in contrarium illata.

OBIIC: Actus interni per se non cadunt sub Legem humanam, vt priore membro dicitur. Ergo neq; propter signum aliquod externum adiunctum. CONSEQ. Actus interni per se, non cadunt sub Legem humanam, quia de illis iudicare homo, sine errore non potest: Sed etiam de illis, qui manifestantur signo externo, iudicare homo sine errore non potest. Ergo neq; illi actus interni, qui aliquo signo externo manifestantur, sub Legem humanam cadunt. MIN: Quod ambiguitatem generat, ex illo iudicium, sine errore ferri non potest. Atqui signa externa, interiorum actuum humanorum ambiguitatem generant, potest enim idem signum, diuersa & contraria significare, secundùm placitùm significantis. Ergo de actibus internis, etiam signo externo manifestatis, iudicare homo sine errore non potest. *Resp.* Iam dicitur, non per se actus internos, manifestatos signis externis, Legi humanæ subdi, sed tantùm per accidens, ratione operis externi. Hæc est autem differentia inter actus *purè internos*, & actus *internos manifestatos per signa externa*, quòd illi nullo modo cadunt sub Legem humanam, isti autem cadunt aliquomodo, non per se, sed per accidens ratione externorum actuum. Ad probat: d. non agi hîc de illis actibus internis qui exhibent diuersa & ambigua ad fallendum comparata signa, sed de illis, qui proprijs signis externis manifestantur.

COROLLARIVM 3.

Legibus etiam Ecclesiasticis, vt obligare valeant, promulgatio, & à Subditus acceptatio, est necessaria.

Iam de illis, quæ annexa sunt Legibus humanis, nempe de pro-

mulgatione & acceptione à Subditis, in hoc Corollario statuitur, per duo membra expedietur.

MEMBRVM I.

An ad valorem Legis, promulgatio requiratur?

D. Thom. Vasquez. Gratian: RESP. Promulgationem, esse de ratione Legis humanæ, docet D. Thom: 1. 2. *q.* 90. *art.* 4. Vasquez. *disp.* 155. *c.* 2. & Gratianus, *in Cap. In istis*, dicit tunc Leges institui, quando promulgantur. RATIO est Doctoris Angelici, quia lex proponitur per modum regulæ & mensuræ. Sed ante promulgationem non potest esse regula aut mensura actionum in Subditis. Ergo de ratione legis humanæ, etiam Ecclesiasticæ, est promulgatio. MIN. Regula & mensura in actu, fit per applicationem ijs, quæ regulantur, & mensurantur. Atqui lex humana, seu omnis positiua, per promulgationem applicatur. Ergo ante promulgationem, non potest esse regula seu mensura. MIN. Applicatio Legis fit per innotescentiam. Sed per promulgationem innotescit. Ergo per promulgationem applicatur. DEINDE. Nihil durum & onerosum Ecclesia vult imponere, id enim prohibetur Act: 15. *Quid vltra tentatis DEVM imponere iugum super ceruices discipulorum &c.* Porrò Legem obligare in Conscientia ante promulgationem, est nimis durum & onerosum. Non ergo obligat ante promulgationem. Ergo ad eius valorem requiritur promulgatio.

OBIIC: Lex naturalis non indiget promulgatione. Sed rationem Legis, maximè habet Lex naturalis. Ergo ad rationem & valorem Legis non requitur promulgatio. *Resp.* Lex naturalis non indiget promulgatione externâ, indiget tamen internâ. Cùm enim DEVS Legem naturalem cognoscendam naturaliter, mentibus hominum inseruerit, ex eo fit promulgatio Legis naturalis. Vnde Apostolus *Rom.* 2. dicit, quòd gentes ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis.

NOTAT Vasquez *disp.* 156. *c.* 3. Leges Pontificias, Romæ solenniter promulgatas, habere vim obligandi etiam alias Pronincias, Vasquez. statim vt aduenit tempus determinatum. Si verò non apponitur tempus,

pus determinatum, obligant post duos menses à promulgatione.

MEMBRVM II.

An Leges obligent, si non acceptentur à Subditis?

DVÆ sunt in hoc, oppositæ Sententiæ. Vna eorum, qui dicunt, Leges humanas ab ijs latas, qui habent potestatem super Communitatem, sine consensu & acceptatione populi obligare. Nimirum, cùm omnem suam potestatem populus in Principem transtulerit iure electionem. In hac sententia est Vasquez *disp.* 156. *cap.* 5. & alij, quos ibi citat. Altera sententia contraria huic est Becani, *q.* 8. & aliorum quos allegat. Cum quo *Resp.* Nec Leges Pontificiæ obligant, quando non consentiunt, nec acceptant subditi. RATIO est, quia Leges Pontificiæ, sicut cuiusuis Legislatoris non obligant, quando Legislator suspendit obligationem. Sed cum subditi non consentiunt nec acceptant, Pontifex censetur suspendere obligationem Legis. Ergo tunc non obligat. MIN: Tunc censetur Pontifex suspendere obligationem Legis, quando illa magis in destructionem, quam in ædificationem esset. Atqui si vellet obligare contra consensum & acceptationem populi, magis esset in destructionem quàm in ædificationem, esset enim occasio peccati. Censetur ergo tunc suspendere obligationem. DEINDE. Leges obligant cùm firmatæ fuerint. Sine consensu autem & acceptatione populi non firmantur: Ita Gratianus, *in Decret. dist.* 4. *cap.* 3. Leges instituuntur cùm promulgantur, firmantur cum moribus vtentium approbantur. Ergo sine consensu & acceptatione non obligant.

Vasquez. Becanus. Gratianus.

OBIIC: Leges reuera vtiles, ad obligationem, non indigent consensu & acceptatione populi. Sed Pontificiæ tales sunt, non potest enim Pontifex errare in ijs rebus, quas Ecclesiæ præscribit obseruandas, vt docet Bellarm: *lib.* 4. *de Pontifice*, *cap.* 5. & hoc propter Spiritûs Sancti assistentiam. Ergo ad obligationem non requiritur consensus & acceptatio populi. *Resp.* potest fieri, vt Leges generatim loquendo, bonæ & vtiles, non sint vtiles in aliqua Prouincia, propter has aut illas circumstantias, quas Pontifex ignorauit Leges ferendo, ac proinde censetur suspendere obligationem illarum, in illa Prouincia, propter tales circumstantias.

Bellarm.

COROLLARIVM 4.

Posse Pontificem dispensare in omni Lege Ecclesiastica, sine Controuersia, indubitatumq; ab omnibus tenetur.

ITA Vasquez *disp.* 178. *cap.* 2. 3. *&* 4. Becanus *q.* 13. RATIO est. Etenim, qui potest Legem statuere, potest eam tollere, abrogando, vel in ea dispensando. Sed Pontifex potest Leges Ecclesiasticas constituere, vt in Conclusione probatum est. Ergo potest dispensare in Legibus, dando alicui licentiam, & remissionem, vt non obstante Lege, quæ alios obligat, ipse aliud faciat. DEINDE. Eiusdem est potestatis clauium, ligare & soluere, obligare & ab obligatione eximere. Sed Pontifex potestate clauium, potest ligare Leges imponendo. Ergo etiam potest soluere & ab obligatione Legis eximere, dispensando.

D. Thom. OBIIC: 1. Lex Ecclesiastica deriuatur à Lege naturali, vt constat apud D. Thom. 1. 2. *q.* 91. *art.* 4. c. & debet ei esse conformis. Sed in Lege naturali, non fit dispensatio, sicut nec in diuina, eò quòd inferior non dispensat in Lege Superioris. Ergo neq; in Ecclesiastica dispensari potest. *Resp.* Lex Ecclesiastica, & omnis humana, deriuatur à naturali, per modum determinationis, non Conclusionis. Etenim ea, quæ per modum Conclusionum deriuantur, mutari non possunt, nisi Lex ipsa mutetur, quæ verò per modum Determinationum, possunt mutari, pro diuersitate locorum, temporum & personarum.

OBIIC: 2. Non potest Princeps aliquid facere, contra bonum commune, propter priuatam vnius vtilitatem. Sed dispensare cum aliquo in Lege Ecclesiastica, est facere contra bonum commune, Lex enim spectat bonum commune, tanquam finem in quem dirigitur. Ergo Pontifex, qui est Princeps Ecclesiæ, non potest dispensare in Lege Ecclesiastica, propter priuatam vnius vtilitatem. *Resp.* neg: MIN. Dispensare in Lege ex causa legitima, nihil committitur contra bonum commune; sine causa verò indecens est, quia peccat ita dispensans quamuis dispensatio sit valida. Et dicit Bernard: *lib.* 3. *de* (D. Thom. *q.* 90. *ar.* 2.)

Con-

Consid. quòd dispensatio sine causa facta, non tam est *dispensatio* quàm, *dissipatio*; peccat & ille, qui tali dispensatione vtitur, non quidem contra Legem humanam, sed contra Legem Naturæ, quâ tenetur se conformare toti Communitati, vt docet Caietanus, *q.* 69. *art.* 5.

CONCLVSIO V.

FAlsò dogmatizant Hæretici, Potestatem Clauium, ad hoc solùm datam Ministris Ecclesiæ vt prædicent Euangelium, in excitationem Fidei, quæ sola remissionem conciliat peccatorum.

HÆreticorum dogmata, refert Bellarminus circa hoc negotium. *Tom:* 2. *lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 10. Et, *lib.* 3. *cap.* 2. Roffens: Ricard. Prateol: Suar: *disp.* 16. *Sect.* 1. *n.* 3. Est verò Conclusio, ex mente Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 6. Et, *Can.* 3. *&* 9. Vbi anathema dicitur omnibus detorquentibus Claues Ministris Ecclesiæ datas, à potestate remittendi & retinendi peccata, in Sacramento Pœnitentiæ, ad authoritatem prædicandi Euangelium. DEINDE. Diuersa sunt munera, Potestas Clauium ad remittenda & retinenda peccata, in Sacramento Pœnitentiæ, & Authoritas prædicandi Euangelium. Ergo falsum est, ad hoc solùm datam esse Ministris Ecclesiæ, Potestatem clauium, vt prædicent Euangelium. ANTEC. constat, quæ enim diuersis temporibus dantur, & cum peculiari gratia, necessaria ad exercendum accipiuntur, diuersa sunt munera. Sed authoritas prædicandi, & Potestas clauium ad ligandum & soluendum, diuersis temporibus data sunt à CHRISTO, & peculiari gratia ad exercendum necessaria. Nam Authoritas prædicandi, quatenus est speciale ius quoddam, datum Ecclesiæ, ad propagandum Euangelium, data est Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes.* Marc. 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Atq; ad hoc exercendum munus, peculiaris gratia data est, & dona Spiritus S. in die Pentec: Potestas autem clauium ad ligandum & soluendum, actu data est, *Ioan.* 20. Prout exponunt Sacri Doctores, Hieron: *Tom.*

Bellarm. Roffens. Ricard. Prateol. Suarez Con: Trid. Suar. supra n. 5. Hieron.

Anastas. Ambros. Hugo.

Tom. 3. *epist.* 150. Anastasius *in quæstionibus Sacræ Scrip. q.* 79. Ambros. *lib.* 10. *in Luc.* Hugo Victor, *lib.* 2. *de Sacram.* Et hæc Potestas data, cum peculiari gratia & dono Spiritûs S. cùm CHRISTVS dixit, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Ergo Potestas ad ligandum & soluendum, & authoritas prædicandi Euangelium, diuersa sunt munera. PRÆTEREA. Actus retinendi peccata, vt actus remittendi, ex æquo attribuitur potestati clauium. Sed prædicationi Euangelij, nullo modo competit actus retinendi peccata. Ergo Potestas clauium, quæ in actibus ligandi & soluendi, seu remittendi peccata exercetur, præposterè torquetur ad solam authoritatem prædicandi Euangelium.

DICENT Hæretici, Quod propriè tribuitur Baptismo, non rectè torquetur ad Potestatem ligandi & soluendi in Confessione. Sed in verbis prædictis, loquitur CHRISTVS propriè de Potestate baptizandi; nam Baptismus datur in remissionem peccatorum Act. 2. *Baptizetur vnusquisq; vestrum, in nomine IESV CHRISTI, in remissionem peccatorum vestrorum.* Ergo & illa verba *Ioan.* 20: non rectè torquentur ad Potestatem ligandi & soluendi, seu peccata remittendi & retinendi in Confessione. *Resp.* falsum esse Assumptum: Nam quamuis & Baptismus remittat peccata, & introducat in regnum cœlorum, quia tamen per Baptismum, possunt intromittere in regnum cœlorum, etiam illi,* qui claues non habent, manifestum est Potestatem clauium, ad alium actum datam & deputatam esse, quàm ad baptizandum. Ex hoc

AMPLIVS Conclusio declaratur. Etenim illæ sunt diuersæ Potestates & munia, quæ super diuersa subiecta exercentur. sed Potestas clauiam, & munus baptizandi, super diuersa subiecta exercentur. Ergo sunt diuersa munera baptizare, & actus clauium ligandi & soluendi exercere. Non ergo CHRISTVS de munere baptizandi loquitur, cùm dat claues ad ligandum & soluendum, seu Potestatem ad remittenda & retinenda peccata. ASSVMPTVM liquet. Nam illi qui sunt intra Ecclesiam, iam baptizati & subditi Ecclesiæ: & illi qui sunt extra Ecclesiam, & non baptizati nec subditi, sunt diuersa subiecta. Atqui Potestas clauium, quæ explicatur in actibus ligandi & soluendi, exercetur in eis qui sunt intra Ecclesiam baptizati & subditi. Nam in eis non exercetur, qui extra sunt, dicit enim Apostolus, 1. Cor. 5.

Quid

Quid mihi de ijs qui foris sunt iudicare? Potestas autem seu munus baptizandi, exercetur in ijs, qui sunt extra Ecclesiam, vt aggregentur Ecclesiæ. Ergo Potestas clauium ad ligandum & soluendum, & munus baptizandi, super diuersa subiecta exercentur.

COROLLARIVM I.

Friuolè nouabant Nouatiani, non esse in Ecclesia Potestatem, ad remittenda peccata, post Baptismum commissa.

HÆreticos, qui negabant esse in Ecclesia Potestatem, ad remittenda peccata post Baptismum commissa, ipsumq; Pœnitentiæ Sacramentum impugnabant, refert Bellarminus. *lib.* 1. *de pœnit. cap.* 9. primosq; dicit fuisse Montanistas, post Nouatianos, tandem his temporibus Lutherum, Caluinum, & alios asseclas. Bellarm: Montanis. Nouatian. Lutherus, Caluinus,

Porrò Corollarium etiam istud, mentem sequitur Concilij Trid. *Sess.* 14. *cap.* 1. Vbi docetur, in illis verbis Ioan: 20. *Accipite Spiritum. S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, institutum esse Pœnitentiæ Sacramentum, veluti secundam post naufragium tabulam, vt dicit *S. Hieron.* datamq; Apostolis Potestatem, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos. Constat veritas Catholica, ex locis Euangelij sæpius repetitis, *Matth.* 16. *&* 18. de Potestate ligandi & soluendi. *Ioan.* 20. de Potestate remittendi & retinendi peccata; in quibus locis dicitur, *Quodcunq; solueris*, *Quæcunq; solueritis*, *Quorum remiseritis*, &c. Sed hæc dicta sunt de lapsis post Baptismum. Ergo in Ecclesia est Potestas, ad remittenda peccata post Baptismum commissa. MIN: nam ligare & soluere, remittere & retinere significant actus iudiciales. Atqui in baptizatos tantùm actus iudiciales exercentur, cùm in non baptizatos, Ecclesia iudicium non exerceat, vt iam dictum est ex Apostolo 1. Cor. 5. Ergo illa dicta sunt de lapsis post Baptismum. DEINDE. Lapsis post Baptismum, opportuna remedia salutis DEVS instituit. Sed Potestas remittendi peccata, est remedium maximæ opportunitatis, lapsis post Baptismum, non etiam potest cogitari opportunius. Ergo Potestatem remittendi peccata post Baptismum admissa, DEVS in Ecclesia instituit. MAI. patet. Nam quos DEVS vult saluos fieri, Concil. Trident: Hieron:

illis opportuna salutis remedia instituit, sine quibus non saluarentur. Sed lapsos post Baptismum, ille qui diues est in misericordia, *Ephes.* 2. vult saluos fieri, nec minùs de illorum salute prouidet, quàm de nondum baptizatorum, qui omnes vult saluos fieri, 1. *Tim.* 2. Ergo illis opportuna salutis remedia instituit.

OBIIC. 1. Lapsis post Circumcisionem in antiqua Lege, non erat instituta potestas aliqua ad remittenda peccata, sed sufficiebat fides in venturum Messiam, & legalia. Ergo pari ratione in noua Lege, lapsis post Baptismum, non est necessaria Potestas in Ecclesia, ad remittenda peccata, sed sufficiet contritio & fides. *Resp.* negand. CONSEQ. dispar enim est ratio, antiquæ Legis & nouæ: ibi enim in figuris omnia contingebant, 1. *Cor.* 10. hic veritas. Illic promissum, hic præstitum. Promissa & figurata fuit hæc potestas, in ritibus & Sacrificijs legalibus, pro peccatis offerri præceptis: ibi Sacerdos rogabat pro peccatore & peccato eius, & dimittebatur ei, *Leuit.* 4. nunc impletum est, quod figurabatur, & promittebatur, cùm Sacerdos ex potestate clauium, ei qui post Baptismum lapsus erat, diuina authoritate, cuius fungitur ministerio, remittit peccatum.

OBIIC. 2. Quos impossibile est renouari ad Pœnitentiam, quibusuè nulla relinquitur pro peccatis hostia, ad illorum remittenda peccata, nulla est potestas in Ecclesia. Sed lapsos post Baptismum, impossibile est renouari ad Pœnitentiam, iuxta illud Hebr. 6. *Impoßibile est eos, qui semel sunt illuminati,* (scilicet per Baptismum) *& prolapsi sunt, rursum renouari ad Pœnitentiam.* nulla etiam illis relinquitur pro peccatis hostia, iuxta illud Hebr. 10. *Voluntariè peccantibus nobis, post acceptam veritatis notitiam,* (quæ in Baptismo cum fide accipitur) *non relinquitur pro peccatis hostia.* Ergo pro remittendis peccatis, lapsorum post Baptismum, nulla est in Ecclesia Potestas. *Resp.* ex hoc argumento sequeretur, nullum peccantem post Baptismum, absolutè posse consequi remissionem peccatorum, quod falsum, & neq; ab ipsis Nouatianis admissum, qui quamuis lapsos post Baptismum, nunquam esse admittendos ab Ecclesia ad Communionem dicerent, monendos tamen docebant, vt Pœnitentiam agerent, remissionem autem peccatorum, soli DEO committendam. Iam verò ad loca Apostoli dicendum, nihil illum ibi contra Potestatem in Ecclesia, ad remittenda peccata post Baptismum commissa, dicere, quàm ipse crebrò asseruit: sed difficulta-

D. Thom. 3. p. q. 84. art. 10. ad 1.

tem

tem veræ Pœnitentiæ ostendit in illis, qui sæpe recidiuant, & maximè, qui apostatæ â Fide & Baptismo efficiuntur. Vnde in illo *cap.* 6. per Pœnitentiam, illa accipi debet, quæ præcedit Baptismum, dicitq; Apostolus, impossibile esse lapsos post Baptismum renouari, id est disponi per talem Pœnitentiam ad Baptismum iterùm suscipiendum, quò rursum peccata, in quæ post primum Baptismum lapsi sunt, expientur, atq; ad Communionem Ecclesiæ, hac via redeant. *In cap.* 10. dicit, apostatis quamdiu tales sunt, nullam relinqui pro peccatis hostiam, extra Ecclesiam, extra quam, nulla est peccatorum remissio.

COROLLARIVM 2.

Pestis est perniciosissima dicere Christianorum peccata, post Baptismum commissa, etiam coram DEO, per Pœnitentiam esse irremissibilia.

HIC error fuit Catharorum, vt refert Bernardus Lutzemburgus Ord: Prædic: *in Catalogo hæreticorum lib.* 2. *litera c.* Et Cataphrygarum. vt refert Epiphan. *Hæresi* 59. Theodoretus in *Epitome diuinorum decretorum.* Hieron. *lib.* 2. *contra Iouinian.* August. in *lib. de vera & falsa Pœnit. cap.* 3. Lactantius etiam *lib.* 6. *diuin. Institut. cap.* 24. refert, Ciceronem asseruisse eos, qui semel à virtutis via aberrassent, pœnitendo corrigi non posse. Cathari igitur in eo Nouatum sequebantur vt dicerent, non solùm nullam esse Potestatem in Ecclesia ad remittenda peccata, sed etiam pœnitus esse coram DEO irremissibilia. Porò etiam post Baptismum commissa peccata, non esse irremissibilia per Pœnitentiam, in fide Catholica euidens est, Petrus quidem post Baptismum, trina peccauit negatione: Ast ille peccati remissionem, per Pœnitentiam consecutus est. Ergo etiam post Baptismum commissa peccata, per Pœnitentiam coram DEO remittuntur. DEINDE. Si peccata post Baptismum commissa, coram DEO, per Pœnitentiam non possunt remitti, frustra igitur fiunt adhortationes peccantium post Baptismum ad Pœnitentiam, frustra Spes & preces, quam etiam consecutionem ostendit sapientissimus Boëtius *lib.* 5. *de Consol. prosa* 3. de sublata arbitrij libertate. Atqui Consequens falsum est, nam & Pe-

Cathari & Cathaph. Bernard. Epiphan. Theodor: Hieron. August: Lactant: Cicero:

Chryst: *lib.* 3. *de Sacerdoti.* August. *lib.* 2. *de adult. coniug. cap.* 3.

trus Act. 8. ad Pœnitentiam hortabatur Simonem Magum, iam baptizatum, pro obtinenda peccati remissione, *Pœnitentiam* inquit, *age ab hac tua nequitia.* Similiter Paulus 1. *Cor.* 5. excommunicauit quendam baptizatum, propter peccatum incæstûs, vt eum hoc modo, ad Pœnitentiam in salutem prouocaret, per quam consequeretur remissionem peccati, & vt Spiritus eius saluus fieret. Et, 2. *Tim.* 2. hortatur Timothæum, vt moneret hæreticos, qui iam baptizati erant ad Pœnitentiam & resipiscentiam. *Cùm modestia* inquit *corripe illos, qui resistunt veritati, ne quando DEVS det illis Pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis.* Et 1. Ioan: 2. generaliter omnes baptizati peccatores, prohibentur desperare, veniam peccatorum, post Baptismum commissorum. *Si quis* inquit *peccauerit, aduocatum habemus apud patrem.* Remittit ergo DEVS per Pœnitentiam peccata, etiam post Baptismum commissa, nam & Articulus fidei nostræ, idipsum euincit, *Credo remissionem peccatorum*, scilicet, quod peccata pœnitentibus, omnia, in Ecclesia remittuntur.

OBIIC: Quod sub dubio in Scripturis ponitur, illud pro certo, & inconcusso fidei Articulo haberi non potest. Sed remitti pœnitentibus peccata, post Baptismum commissa, sub dubio in Scripturis ponitur. Nam Petrus Simonem Magum adhortando ad Pœnitentiam, sub dubio adstruebat, ipsum potuisse consequi remissionem peccatorum, d. *Pœnitentiam age & roga DEVM, si fortè remittatur tibi, hæc cogitatio cordis tui.* Ergo incertum est, peccata post Baptismum commissa, per Pœnitentiam dimitti. *Resp.* neg: ASSVMPTVM. Ad verba Scripturæ dicendum, non dubitatiuè Petrus dixit, dimitti peccatum post Baptismum commissum, per veram Pœnitentiam, sed in verbo prædicto, insinuare voluit libertatem arbitrij, vel difficultatem, quæ est in agendâ verâ Pœnitentiâ, dicit enim Ambros: *lib. 2. de Pœnit. Cap.*
Ambros. 10. *Faciliùs inueni, qui innocentiam seruârint, quàm qui congruè Pœnitentiam egerint.*

COROLLARIVM 3.

Potestatem ad remittenda peccata, post Baptismum commissa, negantes esse in Ecclesia Hæretici, ipsum Pœnitentiæ Sacramentum, innata sibi prauitate, explodere nituntur.

Hunc

Hunc sibi finem præstituunt Hæretici, vt eliminent Sacramentum Pœnitentiæ, quod primi conati sunt Montanistæ, & Nouatiani, Wicleffistæ, vt refert Thomas Valdensis *in lib. de Sacramentis, cap.* 135. Lutherus, Melanchthon, & alij. Vide etiam hac de re Melchiorem Canum, *p.* 5. *Relect. de pœnit. non longè à principio.* Bellarm. *lib.* 1. *de pœnit. cap.* 9. Liquet autem Corollarij veritas. Quisquis enim negat ea, quæ sunt de ratione Sacramenti Pœnitentiæ, negat per hoc ipsum Pœnitentiæ Sacramentum. Sed Hæretici, negantes in Ecclesia, esse Potestatem ad remittenda peccata, post Baptismum commissa, negant id, quod est de ratione Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo per hoc negant ipsum Pœnitentiæ Sacramentum: ASSVMPTVM ostenditur, Remittere peccata per modum actus iudicialis, est de ratione Sacramenti Pœnitentiæ, id patet ex Concil: Trid: *Sess.* 14. *cap.* 6. *& Can.* 9. Sed Hæretici negantes in Ecclesia esse Potestatem ad remittenda peccata, post Baptismum commissa, negant peccata dimitti per modum actûs iudicialis: Nam in Baptismo licet peccata dimittantur, non tamen, per modum actus iudicialis, quia in Baptismi Ministro, non requiritur Potestas: in solo Sacramento Pœnitentiæ, peccata remittunrur & retinentur iudicialiter, vbi potestas ligandi & soluendi exercetur. Ergo hæretici negantes in Ecclesia esse Potestatem ad remittenda peccata, post Baptismum commissa, negant id quod est de ratione, Sacramenti Pœnitentiæ.

Montanist. Nouatiani. Wicleffis. Thomas. Valdens. Lutherus. Melancht. Melchior Canus. Bellarm. Con. Trid.

OBIIC. Omnia Sacramenta nouæ Legis, habent inter se analogam rationem. Sed de ratione aliorum Sacramentorum non est, quòd exerceantur per modum actus iudicialis. Ergo neq; de ratione Sacramenti Pœnitentiæ. *Resp.* Alia Sacramenta non exercentur per modum iudicij, hoc peculiare & specificum habet Sacramentum Pœnitentiæ: nam eius materia constat ex actibus pœnitentis, scilicet Contritione, Confessione, & Satisfactione. Quia ergo per Confessionem pœnitens accusatur, ad instar fori contentiosi, ideo in eius absolutione, iudicium celebratur.

COROLLARIVM 4.

Perperam Hæretici, vt potestatem remittendi & retinendi

peccata, à sua institutione detorqueant Sacramenta Pœnitentiæ & Baptismi confundunt.

Lutherus, Bellarm: Melancht: Caluinus.

HVius insaniæ primus author Lutherus, vt refert Bellarminus *lib. 1. de pœnit. cap. 12.* huic manus dederunt Melanchthon, Caluinus & alij. Porrò duo ista Sacramenta, Pœnitentiæ & Baptismi confundentes, anathemate feriuntur à Concilio Trid. *Sess.* 14. *Can.* 2. vbi ita dicitur. *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atq; ideo Pœnitentiam, non rectè secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.* Equidem differentia inter hæc duo Sacramenta, contra Nouatores, sufficienter deducta, & declarata patet, ex Concil: eodem. *Sess.* 6. *cap.* 14. Et *Sess.* 14. *cap.* 2. ita vt illa sufficere debeant. Nam in primis, vtriusq; Sacramenti partes essentiales, scilicet Materia & Forma, sunt diuersæ: in physicis autem, differentia & diuersitas rerum ponderatur, ex diuersitate principiorum constitutiuorum: igitur & in moralibus, cùm inter hæc sit aliqua ratio analogiæ. Et quidem in Baptismo materia est ablutio in aqua, Forma sunt verba significantia ablutionem & effectum eius. In Pœnitentia verò, materia sunt actus pœnitentis, Contritio, Confessio, seu accusatio, & Satisfactio: Forma autem est ipsa sententiæ prolatio, à Sacerdote facta. DEINDE. Diuersitas ministri, diuersa ostendit Sacramenta, sicut & diuersorum instrumentorum diuersa sunt opera: aliud quippe securis, atq; aliud dolabri opus: in Baptismo minister vt iudex sit, non requiritur, non enim habet subditum, in quem iudicium exerceat, siquidem Ecclesia in neminem exercet iudicium, qui non priùs per Baptismi ianuam, in eam ingressus, subditus efficiatur, vt suadet Apostolus 2. *Cor.* 5: valideq; baptizat, etiam qui nullam habet Potestatem, laicus & mulier, imò & non baptisatus Iudæus & gentilis: dummodo adsit Materia, Forma & Intentio. Pœnitentiæ autem minister, omnino iudex est, potestatem habens clauium, nullusq; præter Sacerdotem, id facere potest. PRÆTEREA. Diuersi fines & effectus, diuersa arguunt Sacramenta. Baptismi & Pœnitentiæ, diuersi sunt fines & effectus. Baptismus enim institutus est primò per se, ad tollendum peccatum originale, & ex consequenti ad actualia, cum originali coniuncta: Pœnitentia verò est, ad tollenda actualia per se, quæ post dimissum

Con. Trid: (margin, beside "vbi ita dicitur")

Con. Trid: (margin, beside "eodem. Sess. 6.")

missum originale committuntur. Per Baptismum consequimur nouitatem, & plenam ac integram peccatorum, & pœnarum omnium, sine labore relaxationem: Quod per Pœnitentiam, nonnisi cum magnis laboribus & fletibus obtinemus. Baptismus est, quasi prima generatio spiritualis, per quam vita primò datur animæ: Pœnitentia est quasi resurrectio spiritualis, ad reparandam vitam, iam ante habitam & amissam, de qua resurrectione Apoc: 20. *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima.* Ergo Pœnitentia, est aliud à Baptismo Sacramentum.

OBIIC: Vulgò dicitur, non sunt multiplicanda Entia sine necessitate. Sed Baptismus susceptus, sufficit ad delenda omnia peccata, etiam post ipsum commissa, per memoriam sui excitando fidem, sicut sufficiebat per excitationem eiusdem fidei, dum susciperetur ad abolenda præcedentia ipsum, non enim inferioris est virtutis in facto, quàm fuerit in fieri. Ergo frustra, aliud Sacramentum Pœnitentiæ, à Baptismo diuersum excogitatur. ASSVMPTVM est Augustini, *lib. 1. de nuptijs: cap. 33.* dicentis, per Baptismum non solùm præterita & præsentia peccata remitti, sed etiam illa, quæ posteriori tempore committuntur. *Resp.* neg. ASSVMPTVM, falsum est enim Baptismum præteritum, per se & formaliter sufficere ad delenda peccata post ipsum commissa. Nam *Hebr. 6.* apertè negat Apostolus lapsos post Baptismum, posse per Baptismum, renouari, vt communiter locus ille exponitur. Augustin.

DICES. Apostolus in verbis prædictis, directè ostendit iteratum Baptismum, non posse dimittere peccata, quia illicitus: Tùm quia est typus mortis CHRISTI, iuxta illud Rom: 6. *Quicunq; baptizati sumus in CHRISTO IESV, in morte ipsius baptizati sumus*: CHRISTVS verò iterum non moritur, vt ibidem dicitur. *CHRISTVS resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur:* Vnde nec iterum quis baptizatur. Tùm quia Baptismus est generatio spiritualis, iuxta illud Ioan: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto.* Et, sicut nemo bis nascitur, secundùm corpus, ita nec secundùm spiritum in Baptismo. Ergo ex verbis Apostoli, non elicitur hæc directa consequentia, quòd prior Baptismus non possit remittere peccata, post ipsum commissa. *Resp.* quamuis directè intendat Apostolus negare iterationem Baptismi, tamen apertè supponit primum, vel vnicum Baptismum, non habere talem effectum, ob eamq; causam, aliud difficilius, & asperius,

rius medium inquirendum. Iam quod adfert ex August: non hoc ille docet, quod per Baptismum propriè & formaliter, deleantur omnia peccata, post ipsum commissa, sed quòd Baptismus sit principium remissionis omnium peccatorum, eo quòd per ipsum homo fit capax omnium Sacramentorum & mediorum ad remittenda peccata.

CONCLVSIO VI.

PRopter solius pœnæ remissionem, Potestatem clauium, à CHRISTO institutam & datam esse, veritati non est consentaneum.

Ponitur hæc Conclusio, propter eos, qui dixerunt, Potestate clauium non dimitti peccatum, sed pœnam duntaxat. In hac sententia Magister Sent. *lib.* 4. *disp.*. 16. *&* 18. Altisiodorensis *lib.* 4. *Summæ*, *tract.* 6. *cap.* 8. Alensis *p.* 4. *q.* 80. *m.* 1. & alij à Suare *disp.* 16. *Sect.* 2. citantur. Porrò Potestatem clauium, non esse institutam propter solius pœnæ remissionem communiter docent Theologi, *in* 4. *dist.* 18. D. Thom: *q.* 1. *art.* 3. Caietanus, Paludanus, Capreolus, Soto, & alij apud Suarem loco citato. RATIO Conclusionis. Nam ad remissionem solius pœnæ, non requiritur infusio gratiæ, siquidem etiam per indulgentias, remittitur pœna, & non datur gratia, vltra meritum operantis. Sed per absolutionem, quæ impenditur ex potestate clauium gratia confertur sanctificans, ex opere operato, aliâs non esset Sacramentùm, nisi gratiam conferret. Non ergo propter solius pœnæ remissionem, Potestas clauium, à CHRISTO est instituta. DEINDE. Per absolutionem Sacerdotis, datam ex Potestate clauium, non sola pœna remittitur, in Sacramento Pœnitentiæ, sed & culpa, imò principaliter. Ergo Potestas clauium, non propter solius pœnæ remissionem est instituta, & data à CHRISTO. ANTEC. Baptismus, & Pœnitentia, in hoc æquiparantur à Concil. Trid. *Sess.* 6. *cap.* 14. *&* *Sess.* 14. *cap.* 1. quia sicut Baptismus est Sacramentum mortuorum per originale peccatum, ita Pœnitentia est Sacramentum mortuorum, per actualia delicta. Baptismus autem, non solam pœnam remittit, sed ipsa peccata,

Magister Altisiodor Alensis. Suarez: D.Thom: Caietan. Palud. Capreol: Soto. Con.Trid:

peccata, quæ ante eius susceptionem fuerunt commissa, vel contracta. Ergo etiam in Sacramento Pœnitentiæ, per absolutionem Sacerdotis ex Potestate clauium, non sola pœna remittitur, sed peccata post Baptismum commissa.

PRÆTEREA. Per solius pœnæ remissionem, non reconciliantur homines DEO. Sed per absolutionem ex Potestate clauium datam, in Sacramento Pœnitentiæ, homines DEO reconciliantur. quod ostendit Concil. Trid: *Sess.* 14. *cap.* 1. ex illis verbis Ioan: 20. *Accipite Spiritum sanctum &c.* Quo tam insigni facto (ait Concilium) & verbis tam perspicuis, Potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis communicauit. Ergo Potestas clauium, non propter solius pœnæ remissionem est data. MAI. Reconciliari est in gratiam redire, & in amicitiam restitui. Sed per solius pœnæ remissionem, non reditur in gratiam cum DEO, nec per hoc solùm amicitia restituitur, sicut nec dissoluitur amicitia per solius pœnæ reatum, sed per culpam dissoluitur amicitia. Ergo, per solius pœnæ remissionem, non reconciliantur homines DEO, sed per remissionem culpæ. INSVPER. Si propter solius pœnæ remissionem, Potestas clauium est instituta. Ergo minùs est necessaria. CONSEQVENTIA nota. Etenim illud minùs est necessarium, ad aliquem finem obtinendum, præter quod, plura & faciliora dantur media; ad illum finem consequendum. Sed si Potestas clauium, tantùm est propter remissionem pœnæ, dantur plura alia media & faciliora, per quæ possit homo consequi remissionem pœnæ, præter id, quòd se subijciat Potestati clauium. Ergo si propter hoc solùm, instituta est Potestas clauium, vt per eam remittatur pœna, minùs est necessaria potestas ista. Trident.

OBIIC: In remissione peccatorum, aliud operatur DEVS, aliud Sacerdos, vt sit aliud opus DEI, aliud hominis. Sed DEVS sufficienter remittit peccatum quoad culpam. Ergo Sacerdos solùm quoad pœnam. Ergo propter solius pœnæ remissionem, Potestas clauium est instituta. PRPOPOSITIO declaratur, quia DEVS viuificat animam, quod Sacerdos non potest. Ioan: 11. Suscitauit CHRISTVS Lazarum, qui fuit typus peccatoris, Apostolis tradidit soluendum. Ergo aliud operatur DEVS, aliud Sacerdos. *Resp.* idem agit DEVS cum Sacerdote, tanquam causa principalis, & à nullo dependens, cum instrumento. Viuificat DEVS per se, quia virtute propria, vtitur autem Sacerdotis ministerio. Exci-

tat priùs interna gratia peccatorem ad pœnitendum, vt possit solui à Sacerdote, qui soluit & peccata dimittit, virtute clauium, in quantùm verba eius instrumentaliter operantur, in virtute diuina, ait D. Thomas 3. *p.* *q.* 84. *art.* 3. *ad* 3.

D. Thom:

COROLLARIVM I.

Licet non primariè, ex consequenti tamen, per Clauium Potestatem, pœna remittitur.

De pœna æterna & temporali intelligendum. Æterna quidem remittitur cum remissione culpæ: temporalis verò remissio, secundùm dispositionem pœnitentis determinatur, vt quantò perfectiùs dispositus est pœnitens, tantò plus ei remittetur, de pœna temporali virtute Clauium. Ita Suarez, *disp.* 16. *Sect.* 2. *n.* 5. Videndus etiam D. Thom. *Suppl.* *q.* 18. *art.* 2. *Alens.* 4. *p.* *q.* 80. *m.* 2. De æterna pœna, quæ tota simul remittitur, constat Corollarium. Nemo enim reus iudicatur æternæ pœnæ, nisi ob culpam. Sed Potestate Clauium culpa remittitur, vt infra patebit. Ergo & pœna æterna. DEINDE. Peccatum mortale, propter auersionem ab incommutabili bono, consequitur reatus pœnæ æternæ, vt qui contra æternum bonum peccauit, in æternum puniatur, ait D. Thom: 3. *p.* *q.* 86. *art.* 4. *c.* Sed per potestatem clauium remouetur illa auersio, in quantùm gratia infunditur animæ, vi absolutionis, ex hac potestate, per quam quidem gratiam, anima DEO coniungitur. Ergo per potestatem Clauium, pœna æterna remouetur, quæ vt sic, per se, & quasi formaliter, pendet ab auersione, & ideo non potest manere reatus eius, remissâ culpâ. De pœna temporali patet, quia dùm homo cooperatur gratiæ DEI, ad satisfaciendum pro pœna, illius remissionem consequitur. Sed per Potestatem clauium, vi absolutionis, homo disponitur ad cooperandum gratiæ pro satisfactione. Ergo per Potestatem clauium, remittitur pœna temporalis, secundùm quantitatem dispositionis in pœnitente. DEINDE. Non minùs est de ratione potestatis clauium actus soluendi, quàm actus ligandi, imò actus ligandi ordinatur ad actum soluendi. Sed actus huius Potestatis, est ligare ad pœnam temporalem, dùm Sacerdos pœnitenti iniungit satisfactionem, quæ fit per opera pœnalia. Ergo eiusdem Potestatis actus est,

Suarez: D. Thom. Alens: D. Thom:

est soluere à poena temporali, hinc Magister Sent. *lib.* 4. *dist.* 18. §. 5. Ligant Sacerdotes, dùm satisfactionem poenitentiæ confitentibus imponunt, soluunt, cùm de ea aliquid dimittunt. PRÆTEREA. Ad augmentum gratiæ, consequitur diminutio poenæ temporalis. Sed in absolutione ex vi Clauium, habentium efficaciam ex Passione CHRISTI, augetur gratia. Ergo poena temporalis diminuitur.

Magister.

D. Thom. *Suppl. q.* 18. *art.* 2. *ad* 4.

OBIIC: 1. Eius est poenam dimittere, cuius & irrogare, Sed solus DEVS irrogat poenam. Amos: 3. *Si erit malum in ciuitate quod non fecerit Dominus?* quod de malo poenæ intelligitur. Ergo solus DEVS remittit poenam, non ergo per Potestatem clauium. *Resp.* Sicut solus DEVS per se, est causa poenæ, ita solus propria authoritate, & tanquam principale agens, illam remittit. Et quemadmodum etiam per creaturas irrogat poenam, quas armat in vltionem inimicorum *Sap.* 5. Ita etiam remissionem poenarum, committit homini, tanquam ministro & instrumento, vt iudicet de poenis, quod spectat ad Potestatem clauium.

D. Thom: *Supra ad* 3. Alensis *supra art.* 1. *ad pen.*

OBIIC: 2. Si Sacerdos Potestate clauium, dimittit de poena temporali. Ergo potest alicui totam poenam dimittere. Sed Consequens est falsum, non conuenit enim aliquod peccatum omnino esse impunitum. Ergo & antecedens falsum. MAI. Si vni, qui debitor est poenæ decem, Potestate clauium dimittit Vnum, potest & alteri, cum eadem dispositione venienti. Sed aliquis non est debitor poenæ nisi Vnum, propter paruitatem peccati. Ergo illi Sacerdos Potestate clauium, potest dimittere illud vnum, sicut illi dimisit, qui ampliùs debitor erat, propter maiora peccata: siquidem hic, qui paruum peccatum commisit, non minùs susceptiuus est effectûs clauium, quàm ille qui commisit maius peccatum. Ergo totam poenam dimittet illi, qui debitor erat, tantùm vnum, *Resp.* neg: MAI. Ad Probat: d. Cuilibet peccato debetur poena satisfactoria, per quam medicina præstetur contra peccatum. Atq; ita, licet per Potestatem clauium, dimittatur aliquid de magna poena, debita magnis peccatis, non oportet quod tantùm secundùm absolutam comparationem, dimittatur de illa parua poena, debita minoribus peccatis, sed dimittitur poena secundùm proportionem.

COROLLARIVM 2.

Ergo Poteſtas clauium, etiam circa pœnam temporalem, duplicem actum exercere poteſt: ſcilicet ſoluendi ſeu remittendi, & ligandi ſeu retinendi.

D.Thom. Suarez

ITA habetur apud D. Thom. ſupra, in argum. *Sed contra.* Et, *art.* 3. *in corpore.* Suar. *ſupra n.* 16. RATIO Corollarij, quia Poteſtas clauium, circa peccatum, duplicem hunc actum exercet, & remittendi, & retinendi. Ergo etiam circa pœnam temporalem. CONSEQ. oſtenditur, quia Poteſtas clauium, duplicem hunc actum exercere circa peccatum, ex eo deducitur, quia dictum eſt, *Quodcunq; ligaueris erit ligatum, & quodcunq; ſolueris, erit ſolutum.* Atqui in iſto ſigno diſtributiuo *Quodcunq;*, comprehendi poteſt, non ſolùm peccatum, ſed etiam pœna, cùm CHRISTVS illud abſolutè protulerit. Ergo Poteſtas clauium, ſicut circa peccatum, ita etiam circa pœnam temporalem, duplicem actum, & remittendi & retinendi exercere poteſt. DEINDE. Remittitur pœna, etiam dùm in minorem commutatur, retinetur verò, quando non remittitur tota. Sed Poteſtas clauium, remittendo peccatum, non remittit ſemper totam pœnam temporalem, ſed in illam commutat æternam, quod dùm facit, ex ſua efficacitate, ſemper commutat æternam pœnam, in minorem temporalem, quàm ſine illius efficacia commutaretur, ceteris paribus. ſicut V. G. duo æqualiter diſpoſiti, quorum vnus, per Poteſtatem clauium, obtinuit remiſſionem peccati, alter per veram tantùm Contritionem, qui non potuit peruenire, ad vſum ipſum Sacramenti: tunc illi, ex efficacitate Poteſtatis clauium, plus remiſſum eſt, de pœna temporali, quàm illi, cui tantùm per veram contritionem, remiſſum eſt peccatum. Ergo Poteſtas clauium, hunc duplicem actum, circa pœnam temporalem exercere poteſt. PRÆTEREA. Retinetur pœna, quando portanda imponitur, remittitur autem, quando faciliùs ſoluitur & expiatur. Sed per Poteſtatem clauium, pœna portanda imponitur, dùm Sacerdos pœnitenti ſatisfactionem præcipit, & obligat ad agendam, tunc enim ligat poſitiuè, & directè, ad hanc pœnam determinatam, per quam vult talem reatum expiari. Et quia hoc modo impoſita ſatisfactio, efficacior eſt, ad tollendam pœnam virtute Clauium,

uium, quàm per se esset, ideo hoc modo Sacerdos ligando, simul soluit quia efficaciam præbet, ad ampliorem & faciliorem solutionem. Ergo Potestas clauium, vtrumq; actum, & remittendi, & retinendi exercet, circa pœnam temporalem.

OBIIC: 1. Potestas clauium, ordinatur contra peccatum, vt medicina, non vt aggrauans. Sed ligare, vel retinere pœnam temporalem, non est medicina, sed magis aggrauans. Ergo Potestas clauium, circa pœnam temporalem, non exercet actum ligandi vel retinendi. *Resp.* residuum pœnæ temporalis, ad quam obligat Potestas clauium, est medicina purgans impuritatem peccati, proinde non est alienum à Potestate clauium, retinere aliquam pœnam temporalem. D.Thom. *supra*, *ad*, 4.

OBIIC: 2. Si hoc esset, retineri pœnam temporalem, Potestate clauium, mutari scilicet æternam, in aliquam temporalem. Ergo hæc Potestas faceret hominem dignum illa pœna, cuius reatum facit hominem subire; nam aliàs, non fuit ille reus pœnæ temporalis, sed æternæ, quæ, cùm remittitur, remissâ culpâ, non inuenitur, vnde reus fiat temporalis. Sed hæc Potestas, non facit hominem dignum illa pœna temporali. Ergo non debet dici, pœna temporalis retineri virtute clauium, quando in remissione peccati, æterna pœna in temporalem mutatur. *Resp.* retinetur pœna temporalis dùm per hanc Potestatem mutatur æterna, in aliquam temporalem, sed hæc retentio, solùm est indirecta, quia scilicet, non ita absolutè remittit pœnam æternam, quin statim in locum illius succedat aliqua temporalis, & reatus eius, ex vi culpæ, quæ licet remittatur, non tamen cùm perfecta dispositione, vel satisfactione. Suar: supra

COROLLARIVM 3.

Dum Sacerdos ligat ad pœnam temporalem, aliquid remittit per Potestatem clauium de pœna in Purgatorio sustinenda.

ITA D. Thom. *supra*, *art.* 2. *c.* Alensis, 4. *p.* *q.* 80. *m.* 2. *art.* 3. D.Thom. Alensis. RATIO Corollarij. Commutare vnum in aliud, est de commutato aliquid remittere. Sacerdos autem Potestate clauium, commutat pœnam Purgatoriam in temporalem *ait Alensis.* Ergo potestate clauium

um aliquid remittit de pœna Purgatoria. DEINDE. Obſtaculum regni cœleſtis, eſt debitum pœnæ Purgatoriæ, quæ remoratur ab ingreſſu, de qua remoratione illud *Matth.* 5. exponitur. *Non exies inde donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Apoſtolus autem *detrimentum vocat*, 1. Cor: 3. *Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur.* Sed Sacerdos ligando ad pœnam temporalem ex Poteſtate clauium, ſoluit obſtaculum regni cœleſtis. Ergo Sacerdos ligando ad pœnam temporalem, ex Poteſtate clauium, dimittit aliquid de pœna Purgatoria. ASSVMPTVM declarari poteſt, quia Poteſtas ligandi, non eſt data, niſi in ordine ad ſolutionem. Sacerdos igitur, qui ex Poteſtate clauium, ligat ad pœnam temporalem, ſimul ſoluit ab oſtaculo regni cœleſtis. PRÆTEREA. Paſſio CHRISTI eſt efficax, non ſolùm ad tollendam pœnam temporalem huius ſeculi, verùm etiam futuri. Sed Poteſtas clauium, operatur in virtute Paſſionis CHRISTI. Ergo Poteſtas clauium, ligando ad pœnam temporalem, remittit aliquid de pœna Purgatorij, vt qui deceſſit poſt abſolutionem, minùs puniatur in Purgatorio, quàm ſi ante abſolutionem decederet, *vt dicit* D. *Thomas.* D.Thom:

OBIIC: 1. Ab illa pœna Sacerdos per Poteſtatem clauium ſoluere poteſt, quam & iniungere. Sed Sacerdos Poteſtate clauium, non poteſt iniungere pœnam Purgatorij. Sicut enim ille ſtatus, non ſubijcitur iudicio Eccleſiæ, ad ſolius DEI iudicium pertinens, ita nec pœna, illum ſtatum contingens. Ergo Sacerdos Poteſtate clauium, ligans ad pœnam temporalem, non poteſt aliquid dimittere de pœna Purgatorij. *Reſp.* quamuis Poteſtas clauium, non poſſit remittere pœnam Purgatorij illi, qui iam deceſſit, poteſt tamen aliquid de illa remittere ei, qui adhuc eſt in Eccleſia militante, qui ſubijcitur clauibus, & iuriſdictioni Eccleſiæ.

OBIIC: 2. Nemo punitur pœna, à quâ abſolutus eſt. Sed abſolutus ex Poteſtate clauium, decedens ante iniunctæ pœnitentiæ completionem, punitur in Purgatorio. Ergo à pœna Purgatoria non fuit abſolutus, Conſequens eſt igitur, quòd Poteſtas clauium, non poſſit ſuper pœnam Purgatorij. *Reſp.* Alenſis dicens, quòd pœnitentes, ante completam pœnitentiam decedentes, etſi teneantur ad pœnam Purgatoriam, non tamen ad tantam, ad quantam tenebantur ante iniunctionem pœnæ temporalis. Vnde virtute clauium, minuitur pœna Purgatoria, non enim ita acriter puniuntur pœnitentes, poſt pœnæ Purgatoriæ commutationem in temporalem, ſi dece-

Alenſ. *Supra.*

decedant, temporali incompleta, vel ita si statim, sicut ante punirentur: & ita absolutio ministri, minuit pœnam Purgatorij.

Corollarium 4.

Totam pœnam temporalem, per frequentem subiectionem Potestati clauium, solui & remitti, non est inconueniens.

ITA D. Thom. *supra*, *art.* 2. *ad* 4. Et Ratio est, quia sublata impuritate peccati, tollitur pœna, quæ ordinatur ad purgandam impuritatem peccati. Sed per frequentem subiectionem Potestati clauium, potest tolli omnis impuritas peccati. Ergo per frequentem subiectionem Potestati clauium, tota pœna temporalis potest tolli. Assvmptvm ostenditur, quia quantò maior gratia recipitur, tantò minùs manet de impuritate peccati, quæ per gratiam purgatur. Sed per frequentem subiectionem Potestati clauium, tantum gratiæ augmentum conferri potest, quòd tollat totam impuritatem peccati. Ergo per frequentem subiectionem Potestati clauium, potest tolli omnis impuritas peccati. D.Thom.

OBIIC: Inconueniens est, peccatum omninò esse impunitum. Ast si per frequentem subiectionem Potestati clauium, tota pœna debita peccato, remitteretur, peccatum esset omnino impunitum. Ergo per frequentem subiectionem Potestati clauium, non conuenit totam pœnam temporalem remitti. *Resp.* peccatum punitur, per ipsam subiectionem Potestati clauium; est enim pœnale homini, toties pudore suffundi, confitendo peccata. Deinde: Christi pœna affatim satisfecit pro peccatis, & pœnis debitis peccatis nostris, quæ applicatur peccatori, toties per absolutionem ex Potestate clauium.

CON-

❧(†)❧

CONCLVSIO VII.

SAcerdotem absolutionis impensione, ex Potestate clauium, remittere peccatum quoad culpam, est dogma fidei Catholicæ.

HIC scopus totius quæstionis præfixus, & vis maxima negotij expendi debet: nimirum; quid agat Sacerdos Potestate clauium sibi traditarum, in foro Sacramenti Pœnitentiæ? quô se videlicet extendat Potestas ipsius. Sit itaq;

ARTICVLVS I.

Vtrum Sacerdos absoluens pœnitentem, ipsi dimittat peccatum quoad culpam?

Potestate clauium, non posse Sacerdotem remittere peccatum quo-
Magister. ad culpam, senserunt non pauci. Magister Sent: *lib.* 4. *dist.* 16. *&*
Bonauent. 18. Bonauent. *eadem dist.* 18. *art.* 2. *q.* 1. *&* 2. Gabriel, Maior, Okam,
Gabriel. Maior Hugo Vict. *lib.* 2. *de Sacram*; *p.* 14. *cap.* 8. Richard. *in lib. de Po-*
Okam. *testate ligandi & soluendi*, *cap.* 12. & alij apud Suarem, *disp.* 16. *Sect.*
Hugo. Richard. Suarez. 2. ET PROBATVR 1. Peccatum non remittitur nisi per gratiam; sicut in physicis forma non tollitur immediatè, nisi per oppositam formam. Sed Sacerdos potestate clauium, gratiam dare non potest, quàm solus DEVS largitur. Ps: 84. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Ergo Sacerdos Potestate clauium, non remittit peccatum quoad culpam. PROBATVR 2. Potestas clauium exercetur in actibus ligandi & soluendi. Sed actus ligandi & soluendi, non se extendunt ad peccatum quoad culpam. Ergo Sacerdos potestate clauium, non potest remittere peccatum, quoad culpam. ASSVMPTVM patet. quia si actus ligandi & soluendi, extenderent se ad peccatum quoad culpam, certè quicunq; potest exercere actus ligandi & soluendi, posset peccatum remittere & reti-

retinere quoad culpam. Sed non omnis, qui potest exercere actus ligandi & soluendi, etiam retinere aut remittere peccatum, quoad culpam potest. Ergo actus ligandi & soluendi, non se extendunt ad peccatum quoad culpam. ASSVMPTVM ostenditur, quia non Sacerdotes, possunt exercere actus ligandi & soluendi. Atqui non Sacerdotes, non possunt peccatum retinere vel remittere quoad culpam. Ergo non omnes, qui possunt exercere actus ligandi & soluendi, possunt etiam remittere vel retinere peccatum quoad culpam. PROBATVR 3. Si Sacerdos Potestate clauium remitteret peccatum quoad culpam, aut remitteret Disposito, aut Indisposito. Sed nihil horum. Non *Indisposito*, qui in peccato accedit, huic enim peccatum remittere non potest, qui non est capax remissionis eius. Non etiam *Disposito*, qui in gratia accedit, quia iam ipsi remissum est peccatum per veram contritionem. Ergo Sacerdos Potestate clauium, non remittit peccatum quoad culpam. In oppositum tamen

CONCLVD: Sacerdos absoluens ex Potestate clauium, remittit peccati culpam. Hæc veritas definita est in Concil: Florent. *in literis vnionis*, Constantiensi, *in Bulla Martini V.* Trident, *Sess.* 14. *c.* 1. Et ita communiter docent Theologi. D. Thom. *Supra art.* 1. & cæteri discipuli D. Thomæ. Caietanus, Soto, Capreolus. Et Scotus *in* 4. *dist.* 18. q. 4. Richard. *dist.* 16. *art.* 1. Suarez *disp.* 16. *Sect.* 2. Hæc Conclusio in verbis CHRISTI continetur, Ioan: 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*; ex quibus hoc modo argumentari licet. Cùm qua Potestate CHRISTVS missus fuit à Patre, cum illa mittebat Apostolos. quibus dixit, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.*, excepto modo differentiæ, quo CHRISTVS Potestatem excellentiæ, Apostoli ministerij acceperunt. Sed CHRISTVS missus fuit à patre, cum potestate remittendi peccata quoad culpam. *Apoc.* 3. CHRISTVS dicitur habere clauem ad aperiendum & claudendum regnum cœlorum, quæ clauis, procul omni dubio, includit Potestatem, non solùm ad remittendas pœnas, verùm etiam culpas. Ergo & Apostoli missi sunt à CHRISTO, cum potestate ad remittenda peccata quoad culpas. Ergo Sacerdos, qui est particeps ministerij Apostolici, potestate clauium, remittit peccatum quoad culpam. DEINDE. Aperire alicui regnum cœlorum, propriè tunc est, quando remouetur seu remittitur culpa, propter quam clausum erat. Sed Sacerdos Potestate clauium debet

Concil. *Florent.* *Constant.* *Trident.* D.Thom. Scotus. Capreol: Soto. Richard: Suarez. Caietan.

Q aperi-

aperire regnum cœlorum, Matth. 16. *Quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Et Matth. 18. *Quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Ergo Sacerdos potestate clauium, remittit peccatum quoad culpam. PRÆTEREA. Per remissionem culpæ, propriè homines DEO reconciliantur, & in amicitiam restituuntur. Sed Sacerdos Potestate clauium, homines DEO reconciliat, & in amicitiam restituit, 2. Cor. 5. *Dedit nobis ministerium reconciliationis*, quam reconciliationem, fieri per efficaciam Potestatis clauium, & Sacramenti ipsius Pœnitentiæ, docet. Concil. Trid: *Sess.* 14. *cap.* 1. *&* 3. dicens. *Sanè verò res & effectus huius Sacramenti, quantùm ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum* DEO. Ergo Sacerdos Potestate clauium, remittit peccatum quoad culpam. AMPLIVS. Purgare sordes animæ, est peccata quoad culpam remittere. Sed Sacerdotes purgant sordes animæ, vt Chrysost: *lib.* 3. *de Sacerdotio cap.* 4. dicit, vbi ex comparatione Sacerdotum nouæ & antiquæ Legis, dicit, illis licuisse leprosos, non purgare, sed purgatos ostendere: nostris verò Sacerdotibus, non corporis lepram, sed animæ sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus, concessum est. Et Ambros. *lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 7. *vult* CHRISTVS *plurimùm posse discipulos suos.* Et infra. *In Baptismo remissio omnium peccatorum est, quid interest, vel per Pœnitentiam, vel per lauacrum, hoc ius sibi datum Sacerdotes vendicent?* Ergo Sacerdos Potestate clauium, remittit peccatum quoad culpam. ADHVC. Proportionaliter oportet loqui de Sacramentis, & Potestate ministrorum, ait. D. Thom. *Suppl. q.* 18. *art.* 1. *ad* 1. Sed per Sacramentum Pœnitentiæ, remittitur peccatum actuale quoad culpam, sicut etiam per Baptismum remittitur originale. Ergo Sacerdos, qui est minister Sacramenti Pœnitentiæ, potestate clauium culpam remittit. Nam quò se extendit forma absolutionis, quæ est altera pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, eò se extendit ipsa Potestas clauium, quæ se habent ad inuicem sicut actus & potentia; nam Potestas clauium, per formam absolutionis, tanquàm per actum proprium operatur, hæc autem extendit se ad remissionem culpæ. INSVPER. Si Sacerdos potestate clauium non remitteret peccatum quoad culpam. Ergo ad remissionem culpæ, non exigeretur votum suscipiendi effectum clauium, sicut non exigitur votum suscipiendi alia Sacramenta, quæ non ordinantur ad remissionem culpæ. Porrò per Contritionem seu dolorem de peccatis, non remit-

Trident.

Chrysost:

Ambros:

D.Thom.

remittitur culpa, nisi votum adsit subijciendi eam potestati clauium. Ergo.

AD argum: *Resp.* Ad 1. Solus DEVS directè, authoritate propriâ & natiuâ interiùs operatur in homine, ad gratiam & remissionem peccatorum: Sacerdos tamen per communicatam sibi à DEO authoritatem, quatenùs verba Sacerdotis in hoc Sacramento, instrumentaliter operantur in virtute diuina, sicut & in alijs Sacramentis, ait, D. Thom. D. Thom.

AD 2. *Resp.* Actus ligandi & soluendi, aut exercentur in foro Sacramenti Pœnitentiæ, aut in foro Ecclesiastico contentioso. Si in foro contentioso, possunt exerceri etiam à non Sacerdotibus, sed hoc modo non extendunt se ad peccatum quoad culpam. Si in foro interiori Pœnitentiæ, sic à solis Sacerdotibus exercentur, & extendunt se ad peccatum, quoad culpam.

AD 3. *Resp.* Quidquid sit de Indisposito, qui obicem ponit, Sacerdos Potestate clauium, Disposito remittit peccatum quoad culpam. Aut enim accessit dispositus, sed adhuc imperfectè cum sola attritione, Trident. illâ tamen, quam Concil: Trid: *Sess.* 14. *cap.* 4. vocat *donum* DEI, *& impulsum Spiritûs sancti*, & tunc per absolutionem datam ex Potestate clauium, disponitur, vt ex attrito fiat contritus, & gratiam remissiuam peccati consequitur si obicem non ponit, ait D. Thom. *Suppl.* D. Thom. *q.* 18. *art.* 1. *c.* Aut accedit perfectè dispositus, cum vera Contritione, & tunc per absolutionem, ex potestate clauium, vi Sacramenti refert gratiam remissiuam peccatorum. Non enim obstat, quin Potestas clauium, ad remissionem culpæ disponat, quia culpa iam est remissa, sicut & Baptismus disponit, quantùm in se est, in eo, qui iam sanctificatus est, ait idem S. Doctor. Et quoniam Potestas clauium per formam absolutionis, tanquam per actum suum operatur effectum; hæc enim duo ad inuicem comparantur, sicut potentia & actus, quæ terminantur ad eundem effectum, ideo ad planiorem difficultatis enodationem, proponendus est.

ARTICVLVS II.

Quid verba ista, ABSOLVO TE. *Significent?*

Separando certa ab incertis, CONCLVDENDVM 1. Falsam esse opinionem

Magister. onem Magistri Senten: qui *lib. 4. dist. 18.* eo modo explicat. *Absoluo te*, id est, *absolutum ostendo & declaro.* Contrarium huic expositioni docet Concil: Trid: *Sess. 14. cap. 6.* vbi sic dicitur. *Quamuis absolu-*
Con.Trid. *tio Sacerdotis, alieni beneficij sit dispensatio, tamen non est solùm nudum ministerium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso, velut à iudice Sententia pronuntiatur.* Et *Can. 9.* damnantur opinioni illi adhærentes: *Si quis* inquit, *dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis, non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, Anathema sit.* DEINDE. Forma hæc *Absoluo te*, sumpta est ex verbis CHRISTI, toties allegatis: *Quodcunq; ligaueris erit ligatum, & quodcunq; solueris erit solutum.* Sed *soluere* verbum CHRISTI, non significat tantùm ostendere & declarare *solutum.* Ergo non ille sensus est istius formæ. ASSVMPTVM patet. Si verba CHRISTI ligare & soluere, in foro Sacramentali, exponi debent de ostensione & declaratione, multò magis in foro exteriori, exponi deberent de sola ostensione & declaratione: siquidem Potestas Ecclesiastica vtriusq; fori, fundatur in prædictis verbis CHRISTI. Sed in foro exteriori, de sola ostensione & declaratione non possunt exponi: aliàs Pontifex dùm dispensat, non dispensaret in rei veritate, sed tantùm ostenderet & declararet non esse obligationem: & dùm iudex Ecclesiasticus excommunicat, nihil aliud face-
Arist. ret, quàm ostenderet & declararet esse excommunicatum, quæ omnia falsa sunt, PRÆTEREA. Sicut dimittere sensum, & sequi rationem, debilitas est intellectus, ex *3. phys. Tex: 22.* ita quoq; recedere à proprietate verborum CHRISTI, & formæ ipsius absolutionis, sensumq; extraneum effingere, est nota dementiæ. Sed verba CHRISTI, & formæ ipsius absolutionis propriè significant, Sacerdotem absoluendo, remittere peccata, extraneum verò est ab ipsis verbis,
Richard. ostendere & declarare remissa; hinc Richard: de S. Victore, *in lib. de potestate ligandi & soluendi, cap. 21.* dicit friuolam & ridendam sententiam eorum, qui dicunt, Sacerdotes non habere potestatem remittendi peccata, cùm Dominus hoc dicat; & dicunt habere potestatem ostendendi remissa, cùm Dominus hoc non dicat. Ergo verba formæ, *Absoluo te*, non significant ostendo seu declaro absolutum.

OBIIC: Non potest plus Sacerdos vi formæ huius *Absoluo te*, quàm CHRISTVS ipse, cùm ab illo Sacerdos acceperit. Atqui CHRI-

STVS

STVS absoluendo Mariam Magdalenam à peccatis, tantùm ostendit ipsam absolutam esse. Luc: 7. *Remittuntur tibi peccata tua.* Ergo Sacerdos absoluendo, id tantùm & non ampliùs facit. *Resp.* CHRISTVS quia intuebatur cor & dispositionem Mariæ Magdalenæ cui occulta quæq; cordium manifesta erant, vt etiam patet ex illo Matth. 9. *Videns cogitationes eorum*, ideò poterat ostendere & declarare remissa peccata Mariæ Magdalenæ. Sacerdos autem, cui diuinitùs non fit reuelatio remissorum iam peccatorum, non potest verè & cum certitudine ostendere seu declarare, absolutum esse à peccatis hominem, absq; eo, quòd operatur aliquid ad remissionem. Proinde

CONCLVDENDVM est. Optima est expositio huius formæ *Absoluo te*, quam tradit D. Thom: 3. *p.* *q.* 84. *art.* 3. *ad* 5. vt sit sensus, *Sacramentum absolutionis tibi impendo.* Vbi: D.Thom.

NOT: duplicem in eo loco expositionem huius formæ apud Sanctum Doctorem inueniri. Prima, vt sit sensus: *Absoluo te*, id est *absolutum ostendo*, non tantum significatiuè, sed etiam effectiuè. sicut inquit baptizando Sacerdos, ostendit hominem ablutum interiùs per verba & facta, & non solùm significatiuè, sed etiam effectiuè, ita quoque hîc. Secunda tamen communiùs recipitur, quam fusè tractat Suarez *disp.* 19. id est, *Sacramentum absolutionis tibi impendo*: Suarez: quod quidem Sacramentum infallibiliter, nisi ponatur obex, confert recipienti gratiam remissiuam peccatorum. Et quamuis non semper hæc Forma, *Absoluo te*, à peccatis, actualiter remittat peccatum, scilicet, si in homine non sit peccatum, cuius remissio desideretur, quia iam per veram contritionem ante remissum est, semper tamen, dummodò ex parte recipientis, obex non inueniatur, confert gratiam sufficientem ad remissionem peccati. Veritas expositionis huius Probatur. quia sensus formæ huius Sacramenti talis esse debet, qui significet proprium & specialem effectum ipsius formæ. Sed dùm ita exponitur. *Absoluo te*, i. *Sacramentum absolutionis tibi impendo*, hic sensus significat proprium & specialem effectum ipsius formæ. Ergo hæc forma *Absoluo te*, rectè hoc sensu exponitur, *Sacramentum absolutionis tibi impendo*. ASSVMPTVM confirmatur, quia proprius & specialis effectus huius formæ *Absoluo te*, est gratia remissiua seu expulsiua peccati, nam sine gratia non remittuntur peccata. Sed dùm ita exponitur, *Absoluo te*, i. *Sacramentum absolutionis tibi impendo*; significatur gratia remissiua & expulsiua peccati, quæ ex

vi huius formæ semper & infallibiliter datur, per se sufficiens ad remissionem peccati in quolibet casu, dummodò in recipiente non sit obex. Ergo dùm ita exponitur *Absoluo te*, i. *Sacramentum absolutionis tibi impendo*, significatur proprius, & specialis effectus huius formæ.

OBIIC: Formæ aliorum Sacramentorum, non significant collationem Sacramenti, sed directè suum effectum. Atqui hæc, *Absoluo te*, si exponatur iuxta istum modum, *Sacramentum absolutionis tibi impendo*, reflexè significat collationem ipsius Sacramenti, vt expositionis verba sonant, nec iam significat directè aliquem effectum. Ergo non debet hoc modo exponi. *Resp.* neg. ASSVMPTVM. Et quidem, cùm aliorum Sacramentorum formæ, significant directè suum effectum, non est dicendum, formæ huius expositionem, *Sacramentum absolutionis tibi impendo*, reflexè significare collationem ipsius Sacramenti, sed quia hæc forma, quantùm ex sua parte significat efficaciam absolutionis à peccatis, dùm non ponitur obex ex parte suscipientis q. d. *Sacramentum absolutionis tibi impendo*, quod ita efficax est, vt nisi ponas obicem, infallibiliter gratiam conferat sufficientem ad soluenda quæuis vincula peccatorum. Hic

Suar: disp. 19. n. 16. NOT: 1. Formam hanc *Absoluo te*, ex vi Sacramenti per se primò conferre gratiam, tanquam effectum primarium, quæ gratia remittit & excludit peccata. Sicut enim agens physicum, non primò corrumpit aliquam formam, sed per se primò intendit introducere formam suæ actioni proportionatam, quæ formaliter destruat & excludat priorem; ita per hanc formam, non priùs peccatum remittitur, quàm gratia conferatur, sed postquam collata est gratia, peccatum excludit.

NOT: 2. Quando peccata mortalia oblita, & quorum pœnitens non habet conscientiam, per hanc formam remittuntur, id secundariò tantùm fit, & quasi per accidens, hæc enim forma, eorum tantùm peccatorum per se significat remissionem, quæ penitus confessus est. Ratio est, quia sententia cadit super accusationem, & ab illa determinatur.

CORO-

Corollarivm I.

Peccata sola venialia, Potestati clauium subijcienti, absolutio denegari non debet.

Veritatem hanc declarauit Leo, X. in Bulla contra Lutherum, Gelasius de vinculo anathemati, Subscribit Suarez. *disp.* 18. *Sect.* 1. *n.* 5. Leo, X. Gelasius, Suarez, Ratio. Corollarij: quia peccata, quæ sunt sufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ, per potestatem clauium remittuntur, cùm ad hunc actum sit concessa, Ioan: 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, peccata autem venialia, sufficiens sunt materia remota Sacramenti Pœnitentiæ, inde Concil: Trid: *Sess.* 14. *cap.* 5. dicit, quòd rectè & vtiliter in Confessione dicuntur. Tridenti: Ergo sola peccata venialia confitenti, denegarj absolutio non debet. Min: patet, nam de quo est propriè Pœnitentia, illud est sufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ, sed de peccatis venialibus, est propriè Pœnitentia, sunt enim nostra voluntate facta, per quod patet differentia, inter peccatum originale & actuale; quia originale non consistit in actuali deordinatione voluntatis, sed in quadam habituali deordinatione naturæ, actuale autem peccatum, licet sit solùm veniale, in actuali tamen deordinatione voluntatis consistit, proindè non remittitur, sine actuali immutatione voluntatis, quod fit per Pœnitentiam, ait D. Thom. 3. *p. q.* 86. *art* 2. *ad* 1. D.Thom. Ergo peccata venialia, sunt sufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ. Deinde Qui contritus confitetur, & dispositus petit absolutionem, non debet ei denegari. Sed qui sola venialia peccata habet, potest per omnia dispositus esse, conteri & confiteri. Ergo sola venialia peccata confitenti, absolutio denegari non debet: alioquin ille, qui nunquam peccauit mortaliter, sola venialia habens, sine culpa, & absq; omni causa isto beneficio priuaretur, per Consequens deterioris esset conditionis in hac parte quouis maximo peccatore. Præterea. Ipsa Christi verba generalia, hoc significant dicentis. *Quorum remiseritis peccata,* & quoniam non determinauit, sola mortalia esse remittenda, non sunt excludenda ab hac potestate etiam venialia, siquidem & illa sunt peccata, in quibus, est priuatio rectitudinis debitæ inesse. Tùm etiam illud. *Quodcunq; solueris*, signum distributiuum etiam venialia

alia comprehendit. INSVPER. Poteſt Eccleſia ad profectum fidelium, præcipere etiam venialia confiteri; nam qui ſola venialia habet, tene-
Cap. tur ex præcepto Eccleſiæ in Paſchate illa confiteri, vt patet ex Cap.
Omnis: *Omnis vtriusq; ſexus*, de pœnit: & remiſſ: Ergo talia confitenti, non debet abſolutio denegari.

OBIIC: 1. Quorum peccatorum remiſſio requirit nouam infuſionem gratiæ, illa ſubijcienti poteſtati clauium, datur abſolutio: gratia ſiquidem remiſſiua peccati, eſt effectus primarius abſolutionis. Sed remiſſio venialium non requirit nouam infuſionem gratiæ, vt eſt apud
D.Thom. D. Thom. 3. *p. q.* 87. *art.* 2. Ergo ſola venialia confitenti non debet abſolutio de poteſtate clauium dari. *Reſp.* quanquàm ad remiſſionem venialium, dùm extra Sacramentum Pœnitentiæ remittuntur, vel per aſperſionem aquæ benedictæ, vel per tunſionem pectoris, vel per alium quemcunq; modum non requiratur nouæ gratiæ infuſio, tamen quando vi Sacramenti Pœnitentiæ remittuntur, ſine nouæ gratiæ infuſione non remittuntur.

OBIIC: 2. Peccata venialia poteſtate clauium Sacerdos dimittere non poteſt. Ergo hæc ſola confitenti abſolutio dari non debet. ANTECED: ſuaderi poteſt, quia quod Sacerdos poteſtate clauium poteſt dimittere, poteſt & retinere, hic enim actus vterq; ſimul ponitur. Sed peccata venialia, Sacerdos poteſtate clauium retinere non poteſt. Ergo nec remittere. ASSVMPTVM probatur, quia illa peccata Sacerdos poteſtate clauium retinere poteſt, quæ ſunt materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ & quæ homo tenetur confiteri. Sed peccata venialia non ſunt eiuſmodi. Ergo illa poteſtate clauium Sacerdos retinere non poteſt. *Reſp.* neg: ANTEC. Ad probat: d. non retinet Sacerdos peccatum veniale ſimpliciter, retinet tamen ſecundùm quid: ſeu non retinet poſitiuè, retinet tamen negatiuè 1. non retinet poſitiuè, quia non poteſt obligare pœnitentem, vt faciat aliquid in remedium eius, ſicut poteſt obligare in remedium mortalis, dùm imponit aliquod onus, quod pœnitens tenetur ſuſtinere, vt abſolutionem & remiſſionem peccati poſſit obtinere. Et hoc eſt poſitiuè retinere peccatum, dùm de nouo ita pœnitentem ligat, vt niſi faciat, non poſſit peccati veniam obtinere. Retinet ergo Sacerdos peccatum veniale, ſed tantùm negatiuè, non impendendo abſolutionem. Aliter ergo retinet Sacerdos peccatum veniale, aliter mortale; nam mortale ſimpliciter retinet,

tinet, ita vt semper maneat necessariò subijciendum potestati clauium, veniale autem tantùm secundùm quid i. quoad hoc vt Sacramentaliter non remittatur, non verò ita retinet, quòd maneat necessariò subijciendum potestati clauium.

COROLLARIVM 2.

Peccata post Baptismum commissa, eidem peccatori, toties Sacerdos remittere potest, quoties ille actus suos subijcit potestati clauium.

EST contra nouum dogma Nouati, dicentis peccatum negantium CHRISTVM in tormentis, non esse remissibile per potestatem clauium. Nouatus. Et contra eos: qui dicebant, post Baptismum, esse quidem vtilem Pœnitentiam, sed tantùm semel, non ampliùs. Sed pro distinctiori declaratione sit.

MEMBRVM I.

An eidem peccatori, valeat sæpiùs remissio peccatorum, ex potestate clauium?

RESP. affirmatiuè, ita D. Thom. 3. *p.* *q.* 84. *art.* 10. Suarez ibidem. Concil. Trid. *Sess.* 14. *Can.* 1. *de Pœnit.* Liquet autem veritas Catholica, quia quod sine limitatione datur, sine limitatione exerceri potest. Potestas autem clauium, ad remittenda peccata post Baptismum commissa, sine limitatione à CHRISTO data est, Matth. 16. *Quodcunq; solueris.* Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata.* Ergo potestas clauium ad remittenda peccata, sine limitatione exerceri potest, siue hæc, siue illa peccata; siue primò, siue secundò aut tertiò, &c. subijciantur potestati clauium. Proindeq; à Sacerdote toties peccator absolui potest, quoties ille actus suos subijcit potestati clauium. Et hoc est, quod dicit Concil: Trid: *supra.* Sacramentum scilicet Pœnitentiæ, pro fidelibus, quoties post Baptismum, in peccata relabuntur, ipsi DEO reconciliandis, institutum. DEINDE. Non est DEVS minoris clementiæ ad remittenda peccata delinquentium, quàm homo ad ignoscen-

D. Thom. Suarez, Trident:

Trident:

R dum

dum de offensis suis. Sed homo toties tenetur remittere offensas suas, quoties rogatur ab offendente. Matth. 18. *Non dico tibi vsq; septies, sed vsq; septuagies septies.* Et Luc: 17. *Si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens, pœnitet me, dimitte illi.* Ergo Sacerdos, qui in tribunali Pœnitentiæ, fungitur officio DEI, peccata post Baptismum commissa, eidem peccatori toties remittere potest, quoties verè pœnitens, illa potestati clauium subijcit. PRÆTEREA. Si Sacerdos peccata post Baptismum commissa, eidem peccatori non posset toties remittere, quoties illa potestati clauium subijcit; aut Sacramentum Pœnitentiæ, infirmius esset ad remissionem peccatorum præstandam virtute Pœnitentiæ: aut homines baptizati propter institutum Sacramentum, deterioris essent conditionis. Sed hoc vtrumq; incommodum. Ergo Sacerdos peccata post Baptismum commissa, toties valet remittere eidem peccatori, quoties ille confitetur. PROPOSITIO constat, nam ante institutum Sacramentum, virtus Pœnitentiæ, toties potuit obtinere peccatorum remissionem, quoties homo pœniteret. Iam si Sacramentum non idem potest, infirmius est: nec etiam possunt dici deterioris conditionis homines, propter institutum Sacramentum, quoad faciliorem obtinendam remissionem est institutum. INSVPER. Si Sacerdos peccata post Baptismum commissa, non posset toties remittere, quoties illa peccator potestati clauium subijcit, parùm prouidisset CHRISTVS saluti nostræ, instituendo Potestatem clauium. Hoc verò impium est dicere. Ergo, &c. PROPOSITIO declarari potest, nam viam ampliorem remissionis peccatorum, ad arctiorem reducere, est parum saluti humanæ prouidere: Si verò Sacerdos non potest toties peccata remittere, quoties illa peccator subijcit potestati clauium, iam institutione huius potestatis, amplior via remissionis peccatorum, reducta est ad arctiorem, scilicet virtus Pœnitentiæ, quæ absq; limitatione semper remittebat peccata, ad Sacramentum, quod semel dumtaxat.

OBIIC: Incapaci remissionis peccatorum, Sacerdos ex Potestate clauium, peccata remittere non potest; sicut etiam in naturalibus forma non potest introduci in materiam indispositam. Sed qui iterum peccat post Baptismum, incapax est remissionis peccatorum. Ergo iterum peccanti, Sacerdos ex Potestate clauium, peccata remittere non potest. ASSVMPTVM ita notificatur. Etenim qui post illuminationem

& ac-

& acceptionem doni Spiritûs sancti peccat, incapax est remissionis peccatorum. Sed qui iterum peccat post Baptismum, iam post illuminationem, & acceptionem doni Spiritûs sancti peccat. Ergo qui iterum peccat post Baptismum, incapax est remissionis peccatorum. PROPOSITIO est Apostoli *Hebr:* 6. dicentis, *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, & gustauerunt donum cœleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti, & prolapsi sunt, rursum renouari ad Pœnitentiam.* Ex quo sic argumentari lubet. Sine Pœnitentia non fit remissio peccatorum, Lege D. Thom. 3. *p. q.* 86. *art.* 2. Sed qui post illuminationem & acceptionem doni Spiritûs sancti peccauit, pœnitere efficaciter non potest, vt indicant verba Apostoli. Ergo incapax est remissionis peccatorum. D.Thom. *Resp.* neg. ASSVMP. Ad probat: d. Apostolus in loco prædicto loquitur de Pœnitentia præcedente Baptismum, vt fit in adultis, non de Pœnitentiæ Sacramento, vt sit sensus: *Impossibile est eos, qui sunt illuminati* in Baptismo, *iterùm posse reparari* per Pœnitentiam, Baptismum præcedentem, ad hoc, vt rursus per Baptismum remissionem pecccatorum consequantur, qui iterari non potest, quandoquidem in illo homo commoritur CHRISTO, iuxta illud Rom: 6. *Quicunq; baptizati sumus in* CHRISTO IESV, *in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo, per Baptismum in mortem.* Cæterùm sicut CHRISTVS semel mortuus est, ad exhaurienda multorum peccata, ita Baptismus semel suscipitur. In sensum prætactum, locum ad Hebr. exponunt Chrysost. Theophilact: Ambros. *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 2. August: *de falsa pœnit. cap.* 3. vt refert Melchior Canus *parte* 5. *Relect: de pœnit.* Quòd si quis generaliter accipiat Pœnitentiam, in loco prædicto Apostoli, vt restringatur locus ille Apostoli ad Apostatas, & eos qui peccauerunt in Spiritum sanctum, tunc impossibile hyperbolicè & mortaliter sumendum est, pro valdè difficili, quod raró aut nunquam fit. Difficile enim est, vt tales ad veram pœnitentiam adducantur. Vel certè ita intelligendum, *impossibile est, per Pœnitentiæ Sacramentum rursum renouari,* id est, priorem nouitatem, quam per Baptismum acceperamus, iterùm accipere. Chrysost. Theophil: Ambros. August. Canus.

MEMBRVM II.

An aliquoties in eadem peccata recidentem, possit Sacerdos absoluere?

RESP. Emmanuel Sa in ſuis Aphoriſmis. *Verbo Abſolutio.* Si pœnitens deteſtatur præterita, & proponit abſtinere à peccatis, etiamſi credat ſe propoſito non ſtaturum, ſed peccaturum, poteſt abſolui. Et Ratio eſt, quia diſpoſitum poteſt imò debet petentem Sacerdos abſoluere, ſed qui aliquoties reincidit in peccata, tamen deteſtatur præterita, & proponit abſtinere, eſt diſpoſitus. Ergo illum poteſt Sacerdos abſoluere. MIN: Qui attritus eſt, quantùm ex ſe, diſpoſitus cenſetur ad Sacramentum recipiendum; nam cùm Sacramento ſufficit attritio, quam mirificè commendat Concil: Trid: *Seſſ.* 14. *cap.* 4. Sed qui dolet de præteritis, & vult abſtinere in poſterum, iam vel attritus eſt. Ergo diſpoſitus.

Emmanuel Sa.

Trident:

DICES. Abſolutio non debet dari, niſi verè pœnitenti. Sed qui ſæpiùs reincidit in eadem peccata, non cenſetur verè pœnitens. Ergo ei non debet dari abſolutio. MIN: Verè pœnitens eſt, qui non ſolùm peccata, verùm etiam occaſiones fugit peccatorum, & qui nunquam committit id, de quo pœnitet; eſt enim Pœnitentia, anteacta peccata deflere, & flenda non committere, vt Gregorius dicit. Et Auguſt. *Inanis eſt illa Pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat.* Sed qui ſæpè reincidit in eadem peccata, quandoq; euenit, quia non fugit occaſiones peccatorum. Ergo non verè pœnitet. *Reſp.* neg: MIN. nam & nos *in multis offendimus omnes*, *Iacob.* 3. quoties enim homo peccat, & poſt peccatum deteſtatur factum, proponitq; cum auxilio diuino abſtinere à peccatis, verè pœnitet, nam & Dominus vſq; Septuagies ſepties peccanti, & peccatum deteſtanti remiſſionem decernit concedendam, *Matth.* 18. Quod autem dicitur inanis Pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat, non eſt ita intelligendum, quaſi non fuerit vera, ſi habuerat dolorem de præterito, & propoſitum vitandi in futurum. Sed inanis ideò dicitur, quia caret fructu ſuo. Fructus autem eſt Pœnitentiæ, vitatio gehennæ, & adeptio gloriæ, ait Magiſter ſent: *lib.* 4. *diſt.* 14. mortificatur enim illa pœnitentia per ſequens peccatum; ſicut alia bona opera, vt non ſortiantur mercedem ſuam. Quantùm ad occaſionem proximam peccati, inducendus eſt pœnitens, vt relinquat occaſionem, ſi commodè & abſq; iactura famæ poteſt, alioquin abſoluendus, qui ex cauſa non vult omittere occaſionem, dummodò proponat firmiter non peccare. Quanquam conſultum eſt, quandoq; differre abſolutionem, idem ſæpè committenti.

D.Gregor: *Homil.*34. *in Euang.*
Auguſt.

Magiſter.

MEM-

MEMBRVM III.

An debeat Sacerdos, denegare beneficium absolutionis ei, quem scit celare peccatum mortale in Confessione?

RESP. Non debet Sacerdos eum absoluere, quem euidenter scit, celare peccatum mortale in Confessione. RATIO est, quia indispositо non debet dari absolutio, siquidem Sacramenta indignis non sunt danda, Matth. 7. Dominus dixit, *Nolite sanctum dare canibus*, qui verò celat mortale peccatum in Confessione, indispositus est, potissimùm si mentitur negando interrogatus. Ergo Sacerdos sciens euidenter, aliquem celare peccatum mortale in Confessione, quem ipse suis oculis vidit peccantem, non debet absoluere. DEINDE. Non debet Sacerdos absoluere, nisi quem CHRISTVS etiam absoluerit, cuius gerit vices, & quæ ipse soluit in terris, debent manere soluta & in cœlis, aliâs clauis errabit, Sacerdosq; illa abutetur & peccabit. Atqui celantem malitiosè in Confessione peccatum mortale CHRISTVS non absoluit, quandoquidem fictus accedit ad Sacramentum, cui ex hoc infert iniuriam. Non ergo beneficium absolutionis ei concedi debet, quem nouit Sacerdos euidenter celare mortale peccatum in Confessione. PRÆTEREA. Sacerdos quatenus iudex in foro Pœnitentiæ, iustum debet facere iudicium. Quod si verò ei absolutionem impendat, de quo notitiam euidentem habet, quòd celat mortale peccatum in Confessione, non faciat iudicium iustum: sine cognitione enim & diligenti discussione causæ, iustum iudicium fieri nequit, dùm verò celatur mortale peccatum in Confessione, non modò diligenter discuti, sed ne cognosci quidem potest. Sacerdos igitur absoluens talem, non faceret iudicium iustum.

DICES. In foro Pœnitentiæ, debet Sacerdos iudicare ex dicto pœnitentis. Ergo debet absolutionem dare, etiam illi, quem scit euidenter celare peccatum mortale in Confessione, si dicat se immunem illo peccato. ANTECED: Sicut in omni foro, ita in foro Pœnitentiæ, debet iudicium fieri secundùm allegata, & probata, & non secundùm priuatam scientiam. Sed in foro Pœnitentiæ, tota allegatio & probatiò consistit in dicto pœnitentis, cui credendum est, pro se & contra

tra se dicenti, iuxta illud Luc. 19. *Ex ore tuo te iudico.* Ergo in hoc foro, debet Sacerdos iudicare ex dicto pœnitentis. *Resp.* regulariter standum est dicto & Confessione, pœnitentis, vnde quamuis sciat Sacerdos probabiliter, hoc est ex relatione aliorum, alicuius peccatum, magis tamen debet credere ipsi confitenti, sed quando scit euidenter, quia ipse vidit oculis suis peccatum confitentis, quod ille celat, & euidens est ipsum mentiri, non tenetur stare dictis eius, sed potest vti propria scientia, & denegare illi absolutionem, nisi fortè probabiliter existimet Sacerdos, iam eum confessum esse illud peccatum alteri, tunc enim poterit ei absolutionem dare.

COROLLARIVM 3.

Peccata, ritè iam priùs confessa & remissa Potestate clauium, valet Sacerdos iterùm remittere.

Doctrina hæc est contra eos, qui dixerunt non esse licitum, de peccatis priùs in Confessione remissis, præsertim solis Confessionem facere. Certum tamen est, Sacerdotem dare absolutionem ei, qui sola illa peccata confitetur, quæ iam priùs erat Confessus, & absolutionem obtinuerat, dummodò ille qui confitetur, vt ait Richard: *in* 4. *dist.* 18. *art.* 2. *q.* 4. moueatur nouo motu deuotionis, erubescentiæ & doloris. Ita sentit Caiet: *Tom.* 1. *opusc. Tract.* 5. *de confess. q.* 4. Medina *Tract.* 2. *q. de fructu iterandi confess.* Suarez. *disp.* 18. *Sect.* 4. *n.* 8. 9. *&c.* Huc etiam facere videtur D. Thom. 3. *p. q.* 84. *art.* 10. de iteratione huius Sacramenti. Et patet veritas, quia præcedente salubri Confessione peccatorum, Sacerdos absolutionem ex Potestate clauium impendit in remissionem peccatorum. Sed Confessio iterata eorundem peccatorum, iam antea confessorum, & remissorum, in priore simili Sacramento, est Salubris, quô nomine eam vocat Benedictus XI. *in Extrauag.* 1. *de priuilegijs.* Ergo Sacerdos Potestate clauium, potest remittere peccata, iam priùs ritè confessa & remissa. DEINDE. Non est minoris efficaciæ ad remissionem peccatorum, Sacramentum Pœnitentiæ, quàm virtus Pœnitentiæ, quam iuuat quodammodò, quia perficit imperfectionem eius. Sed virtus Pœnitentiæ, potest iterùm

Richard. Caiet. Medina. Suarez. D. Thom. Benedict.

atq;

atq; iterùm, suos actus exercere circa eadem peccata; potest enim eadem peccata iterùm atq; iterùm detestari, vt amplioris gratiæ augmentum conferatur. Ergo & Sacramentũ Pœnitentiæ. Ergo Sacerdos potestate clauium, valet iterùm atq; iterùm remittere eadem peccata, iterùm cõfessa, non solum cum alijs nondum confessis antea, coniuncta sed etiam per se sola. PRÆTEREA. Si Sacerdos non valet potestate clauium, iterùm remittere peccata, iam in priore simili Sacramento ritè confessa & remissa, hoc ideo maximè quia CHRISTVS concedens hanc potestatem, eam limitaret ad vnum tantùm actum absolutionis & remissionis, eorundem peccatorum. Sed hoc non fecit CHRISTVS. Ergo potest Sacerdos Potestate clauium, iterùm eadem peccata remittere, quando iterùm in Confessione cum dolore explicantur. ASSVMPTVM insinuari potest. Nam eo modo CHRISTVS Potestatem clauium instituit, quo magis congruum erat fini sacramenti Pœnitentiæ. Sed magis congruum est fini Sacramenti Pœnitentiæ, quòd potestas clauium non sit limitata, ad vnum tantùm actum remissionis; hinc enim & vtilitas magna, dùm in iterato actu remissionis supplentur defectus, qui sæpe ex parte peccatoris inueniuntur, & maior est securitas animarum. Ergo CHRISTVS Potestatem clauium instituit sine limitatione, ad vnum tantùm actum remissionis. Non est igitur conueniens, vt nos eam restringamus, ad vnum solùm actum absolutionis, super eadem peccata. INSVPER. Si Sacerdos Potestate clauium, non potest iterùm remittere peccata, impensione absolutionis, iam ante ritè confessa & remissa, hoc ideò, quia non esset materia proxima, in quam posset absolutio cadere. Sed Confeßio noua eorundem peccatorum, est sufficiens materia proxima. Ergo potest Sacerdos, talia peccata, Potestate clauium iterùm remittere. ASSVMPTVM declaratur. Quæ enim peccata, sunt sufficiens materia remota Sacramenti Pœnitentiæ, illorum Confeßio est sufficiens materia proxima. Sed talia peccata sunt propria & sufficiens materia remota huius Sacramenti, quæ iam confessa fuerunt in priore Sacramento, quia de illis dolor & detestatio esse potest. Ergo talium peccatorum Confeßio est sufficiens materia proxima.

OBIIC: 1. Sicut se habet forma ad materiam in physicis, ita secundùm proportionem in Sacramentis. Sed in physicis vnicuiq; formæ, respondet propria materia. Ergo & in Sacramentis, quæ constant materia sua & forma. Ergo super peccata priùs ritè confessa & re-

missa

missa, Sacerdos Potestate clauium, formam absolutionis proferre non potest. *Resp.* sicut in physicis vnicuiq; formæ, respondet propria materia particularis, adæquatè, nec possit eadem materia particularis, pluribus formis informari; materia tamen vniuersalis, ad omnem formam indifferenter se habet, in qua est inclinatio & appetitus naturalis ad omnem formam; ita ergo in Sacramentis, materia proxima, vnam tantùm potest admittere formam, vt in Baptismo, vna ablutio, quæ est materia proxima, vnam tantùm formam; vna Confessio, quæ est materia proxima in hoc Sacramento, vnam admittit formam absolutionis. Sed materia remota, potest plures admittere formas, nam & in Baptismo eadem aqua, quæ est remota materia, potest pluries adhiberi ad baptizandum: ita & in hoc Sacramento, peccata quæ sunt remota materia, possunt pluries in Confessione potestati clauium subijci, vt absolutio potestate clauium impendatur.

OBIIC: 2. Si posset Sacerdos Potestate clauium, impendere absolutionem illi, qui sola peccata confitetur, iam ritè confessa & remissa, in priore simili Sacramento, liceret forma Sacramentali abuti. Sed hoc est nefas & impium. Ergo Sacerdos Potestate clauium, non potest impendere absolutionem illi, qui sola peccata confitetur, iam ritè confessa & remissa, in priore simili Sacramento. PROPOSITIONIS consequentia manifesta, quia tunc abusus est formæ Sacramentalis, quando falsò profertur, & nullum habet effectum. Sed dùm Sacerdos attentat absoluere ab illis peccatis, cùm, qui iam ab illis est absolutus, falsò profert formam, & nullum habet effectum. Ergo abutitur forma Sacramentali. ASSVMPTVM lucidum. Etenim tunc falsò profertur forma, & sine vllo effectu, quòd non operatur id quod significat. Sed dùm Sacerdos attentat absoluere à peccatis aliquem, à quibus iam ritè absolutus est in priore Confessione, forma absolutionis non operatur id, quod significat: nam significat absolutionem à peccatis, quam modo non operatur, iam enim antea ab istis peccatis, fuit absolutus peccator, iam ergo hæc forma absolutionis, non inuenit, à quo absoluat, proindeq; Sacerdos, dùm attentat absoluere à peccatis eum, qui iam antea ab illis est absolutus, falsò profert formam, & illa nullum habet effectum. *Resp.* negatione Propositionis. Ad probat: d. absolutio data illi, qui confitetur peccata, iam confessa & remissa in priore simili Sacramento, nec *falsò*

pro-

profertur, nec est sine effectu; operatur id quod significat; nam significat collationem gratiæ peccatorum remissiuæ, qui est eius effectus primarius, vt supra notaui *articulo* 2. Quoties ergo ritè datur absolutio remoto etiam obice in suscipiente, operatur hunc effectum hoc est confert gratiam. Cùm quis ergo sola peccata confitetur, iam prius confessa ritè & remissa in priore simili Sacramento, non debet id leui de causa facere, vt etiam Soto benè monet, sed oportet fieri cum debita dispositione & reuerentia, spectatis alijs circumstantijs & conditionibus necessarijs. Soto,

COROLLARIVM 4.

Supra eandem Confessionem peccatorum, absolutio de potestate clauium bis dari non debet.

ITA tenet Medina. *Tract.* 2. *q. de fructu iterandi Confessionem.* Suarez, *disp.* 18. *Sect.* 4. qui dicit validas esse plurium absolutiones supra eandem Confessionem, vnumq; constituere Sacramentum, non tamen licitas. Constat autem doctrina Corollarij de pluribus absolutionibus, successiuè datis supra eandem Confessionem. Etenim dùm repetitur absolutio simpliciter, supra eandem Confessionem peccatorum est abusus formæ Sacramentalis. Ergo non debet fieri ANTECEDENS palam est, nam adhibere formam Sacramenti, vbi sanctificare non potest est abusus formæ; iterata verò supra eandem Confessionem non sanctificat; in abusu ergo manet. MIN: Virtus sanctificatiua in Sacramentis, non solùm est à forma, sed à forma simul & materia proxima. Ergo vbi deest materia proxima, forma sola non potest sanctificare; iam in hoc casu dùm iteratur forma absolutionis, supra eandem numero Confessionem deest materia proxima, quæ non potest esse nisi noua Confessio cum detestatione peccatorum. DEINDE. Absolutio ex potestate clauium ordinatur ad peccatorum remissionem. Sed potestas clauium, peccatum eadem Confessione accusatum, bis remittere non potest. Ergo bis dari non debet absolutio supra eandem numero Confessionem, ASSVMPTVM patet, etenim sicut se habet consecratio ad Hostiam, ita se habet absolutio ex potestate clauium ad Confessionem. Sed eadem Medina, Suarez

dem numero Hostia bis consecrari non potest. Ergo & absolutio peccatum vnica numero Confessione accusatum, bis remittere non potest. PROPOSITIO liquet, quia sicut Panis sanctificatur per verba consecrationis, & fit Corpus CHRISTI, ita Confessio sanctificatur per absolutionem datam potestate clauium vt fiat Sacramentum, quod remittit peccata. PRÆTEREA, In omnibus Sacramentis vbi est vna numero materia proxima, non potest nisi vna forma applicari, vt in Baptismo vni numero ablutioni, vna forma accomodatur sicut & in physicis, vna materia particularis, vnam dumtaxat formam recipit. Ergo etiam in Sacramento Pœnitentiæ idem seruandum, vt vni numero Confessioni peccatorum, vna dumtaxat forma absolutionis impendatur.

OBIIC: Ita se habent plures absolutiones successiuè prolatæ supra eandem Confessionem, atq; dùm simul proferuntur. Atqui dùm simul à pluribus Sacerdotibus absolutiones, supra eandem Confessionem proferuntur conficiunt Sacramentum, quamuis hoc non rectè fiat, cùm sit contrarium vniuersali Ecclesiæ consuetudini, & secretæ quodammodò repugnet Confessioni. Ergo etiam dùm successiuè iteratur absolutio, supra eandem Confessionem conficiet Sacramentum. *Resp.* dispar est ratio: dùm plures absolutiones, à pluribus simul Sacerdotibus proferuntur conficiunt Sacramentum, quia habent materiam proximam Confessionem illam, ad quam concurrunt omnes per modum vnius formaliter, licet materialiter sint plures; iterata verò absolutio supra eandem numero Confessionem, non habet propriam materiam proximam, proinde non potest Sacramentum conficere.

QVÆSIERIS. Quid in praxi faciet Sacerdos, qui post Confessionem pœnitentis, non recordatur an ei impenderit absolutionem, pœnitens etiam non aduertit quia vel rudis est? *Resp.* impendet absolutionem conditione saltem in mente retenta; ita Emmanuel Sa. *V. Absolutio.* Poterit etiam de nouo pœnitens facere Confessionem, & elicere contritionem.

Emmanuel Sa.

CONCLVSIO VIII.

POtestas quâ Sacerdos à peccatis absoluit non solùm in claue Ordinis, sed etiam iurisdictionis cōsistit.

Con-

Conclusio definita est in Concil: Florent. in decreto Eugenij. Trident. *Sess.* 14. *cap.* 7. quod ita explicant Theologi D. Thom. *Suppl.* *q.* 17. *art.* 2. *ad.* 2. Suarez, *disp.* 16. *Sect.* 3. Potestque his rationibus confirmari 1. Sine quo non potest Sacerdos peccata in foro pœnitentiali remittere, in eo potestas remittendi peccata consistit. Sed sine claue iurisdictionis, cum sola claue Ordinis, in foro pœnitentiali non potest Sacerdos peccata remittere. Ergo potestas qua Sacerdos à peccatis absoluit, non solùm in claue Ordinis, sed etiam iurisdictionis consistit. Assvmptvm est Concilij Trid. dicentis, *nullius momenti esse absolutionem, prolatam sine iurisdictione ordinaria aut delegata.* Vnde sic argumentor. Vbi peccata iudicialiter remittuntur, sine iurisdictione non remittuntur, natura enim & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos dumtaxat feratur, *ait idem Concil.* Sed in foro pœnitentiali, peccata iudicialiter remittuntur, vt ibidem dicitur *cap.* 6. *&* *Can.* 6. Et supra, *Cap.* 5. Sacerdotes in foro pœnitentiali, præsides & iudices appellantur. Ergo sine claue iurisdictionis; Sacerdos cum sola claue Ordinis in foro pœnitentiali, peccata dimittere non potest. Deinde à posteriori id innotescit ex casuum reseruatione. Si enim potestas remittendi peccata, in sola claue Ordinis consistit, & non etiam iurisdictionis non possent Prælati Ecclesiæ, ita sibi reseruare aliqua peccata quòd ab inferiore, data super eis absolutio sit nulla. Sed hoc semper in Ecclesia seruatum est, vt Prælati ita sibi reseruent aliqua peccata, quòd super eis, data ab inferiore absolutio fuerit nulla. Ergo potestas remittendi peccata non solùm in claue Ordinis, sed etiam iurisdictionis consistit. Propositio liquidatur. Nam ille reseruat sibi peccata tanta vi, vt ab alio data super eis absolutio sit nulla, qui ampliorem præ alio in hoc negotio habet potestatem. Sed quoad remissionem peccatorum, in foro pœnitentiali, non habent Prælati ampliorem clauem seu potestatem Ordinis, præ cæteris Sacerdotibus; potestas enim Ordinis in æquali perfectione omnibus communicatur. Ergo si potestas remittendi peccata in foro pœnitentiali, in sola claue Ordinis consistit, non etiam in claue iurisdictionis, non possunt Prælati Ecclesiæ, ita sibi reseruare aliqua peccata, quin ab inferiore, data super eis absolutio sit nulla. Præterea. Ille potest soluere seu remittere peccata, qui potest ligare seu retinere, nam simul isti actus ponuntur eiusdem potestatis. Atqui solam clauem Ordinis habens, non potest ligare seu retinere peccata. Ergo nec soluere

Concil. Florent: Trident. D.Thom. Suarez,

Trident:

uere seu remittere potest, proindeq; non in sola claue Ordinis, sed etiam iurisdictionis hæc potestas consistit. Assvmptvm clarum, nam in verbo ligandi, includitur potestas aliquem ad aliquid obligandi, solam autem Ordinis clauem habens, non potest ad aliquid obligare alterum. Ergo non potest ligare. Assvmptvm deducitur, quia nemo legitimè obligat ad aliquid, nisi subditum sibi. Solam autem Ordinis habens clauem, nullum habet subditum, clauis enim Ordinis ex natura sua, nullum dicit respectum ad subditos. Ergo solam Ordinis habens clauem, non potest obligare. Insvper. In eo consistit potestas, qua Sacerdos à peccatis absoluit, quod simpliciter ad talem actum est necessarium. Sed clauis iurisdictionis, ad absolutionis actum, simpliciter est necessaria. Ergo hæc potestas etiam in claue iurisdictionis consistit. Assvmptvm Confirmatur decreto Innocentii III. in Concil: Lateranensi. *Cap. Omnis vtriusq; sexus fidelis:* vbi dicitur, quòd Sacerdos carens iurisdictione, non possit soluere vel ligare. Idem definit Concil: Florent; & nostrum Trid. loco sæpius dicto *Sess.* 14. *cap.* 7. Deniq;. Si potestas absoluendi à peccatis, in sola claue Ordinis consisteret, posset quilibet Sacerdos, quemlibet hominem à peccatis absoluere, quia quilibet Sacerdos habet clauem Ordinis. At non quilibet Sacerdos, potest quemlibet hominem absoluere, dicitur enim in Decret. 16. *q.* 1. *Nulli Sacerdotum liceat Parochianum alterius absoluere, aut ligare.* Ergo potestas absoluendi à peccatis, non in sola claue Ordinis consistit, necessaria proinde clauis iurisdictionis.

[Margin: Cap. Omnis. — Florent. Trident: — 16. q. 1.]

OBIIC: 3. Non minor potestas requiritur ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum, quàm ad remissionem peccatorum virtute clauium. Sed ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum, sufficit potestas Ordinis, & non requiritur ampliùs alia ad validitatem conficiendi. Ergo etiam ad remissionem peccatorum, virtute clauium, sufficit potestas Ordinis, non ergo requiritur aliqua potestas iurisdictionis. Propositio probatur. Etenim pro magnitudine & sublimitate operis, magnitudo & sublimitas potestatis in operante pensatur. Ergo æquale opus, æqualem requirit Potestatem; maius opus, maiorem exigit; & vbi maius non est opus, nec potestas maior est necessaria. Sed conficere Eucharistiam, non est minus opus remissione peccatorum, virtute clauium, imò maius est opus confectio Eucharistiæ, etiam ratione termini vbi trasmutatio fit ad substantiam, de substantia Panis, substantia cor-

tiæ corporis Christi: In remissione verò peccatorum, fit transmutatio ad qualitatem. *Resp.* Propositio absolutè sumpta negatur, si de potestate adæquata sit sermo, nam potestas adæquata conficiendi Eucharistiam, ex vi solius Ordinationis dependet: non sic potestas adæquata absoluendi. Ad Probat: d. quando opera sunt eiusdem generis & rationis, tunc vbi non est maius opus, non requiritur amplior potestas: hæc autem sunt opera diuersi generis & rationis, confectio Eucharistiæ & remissio peccatorum virtute clauium. Proinde quamuis sufficiat potestas Ordinis ad confectionem Eucharistiæ, ad remissionem tamen peccatorum, virtute clauium non sufficit, sed requiritur omnino potestas iurisdictionis, propter modum quo peccata, in foro Sacramenti Pœnitentiæ iudicialiter remittuntur, in confectione autem Eucharistiæ, nullum iudicium celebratur. Potest & hæc proportio ad rem præsentem facere: sicut materia Eucharistiæ, in quam potestatem exercet Sacerdos, est panis, & ille triticeus esse debet; in Baptismo, homo simpliciter: ita in absolutione homo subditus. Vnde sicut in collatione Baptismi si desit homo, non conficitur Sacramentum; in consecratione Eucharistiæ, licet adsit panis, si tamen non sit triticeus non consecrat Sacerdos; ita in Sacramento Pœnitentiæ si adsit homo, sed non subditus, non fit absolutio. Hinc: D. Thom. Suppl. q. 19. art. 6. ad. 1.

NOTA differentiam inter Pœnitentiam & alia Sacramenta: nam in alijs, licet sit necessaria aliqua iurisdictio vel concessio legitima, vt competenter ministrentur, vt tamen validè ministrentur, ex vi potestatis sufficit potestas Ordinis: validè enim baptizat, qui non subditum baptizat, validè confirmat, qui non subditum confirmat: & validè ordinat, quamuis non subditum. Non validè autem absoluit, qui non subditum absoluit, vnde ad absoluendum, præter potestatem Ordinis, necessaria est potestas iurisdictionis. Suar. disp. Sect. 3. n. 4.

OBIIC: 2. Vbi est potestas per se sufficiens ad aliquid operandum, superadditio alterius potestatis non requiritur. Sed clauis Ordinis quæ datur Sacerdotibus in ordinatione, est vera potestas per se sufficiens ad remittenda peccata, iuxta illud. Ioan: 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Ergo præter clauem Ordinis, clauis iurisdictionis non requitur. *Resp.* datur Sacerdotibus in ordinatione vera potestas, & sufficiens in suo Ordine, ad remittenda peccata, sed subditorum, quando eos habuerint, non statim tamen

men dantur ſubditi, ſed cum iuriſdictione ordinaria vel delegata.

INSTABIS. Ex quo aliquis iudex conſtituitur, habet ſubditos. Sed ex claue Ordinis Sacerdotes, vt ſonant verba prædicta iudices conſtituuntur, quia & poteſtas quam accipiunt, eſt poteſtas iudiciaria. Ergo Sacerdotes ex claue, ſeu poteſtate Ordinis habent ſubditos. *Reſp.* Sacerdotes ex vi ordinationis iudices conſtituuntur, non actu, ſed poteſtate ſeu aptitudine tantùm, quia ex vi ſolius ordinationis, non habent ius ad ferendam ſententiam, ſed habent præcipuam potentiam operatiuam in tali ſententia, ratione cuius ſoli Sacerdotes ſunt deputati ad ferendam ſententiam in hoc iudicio, ſi accedat iuriſdictio. Et hoc modo poteſtas Ordinis dicitur iudiciaria, quia non poteſt ſuum actum exercere, niſi per modum iudicij, non verò, quia ſe ſola ſufficiat ad ferendum iudicium ſine poteſtate iuriſdictionis.

COROLLARIVM I.

Poteſtas Ordinis & iuriſdictionis, quamuis in vnum ita concurrunt ad remiſſionem peccati, vt vna ſine alia nihil faciat, inter ipſas tamen realis intercedit diſtinctio.

D. Thom. Suarez. Realem diſtinctionem inter iſtas poteſtates, inſinuat D. Thom. 2. 2. *q.* 39. *art.* 3. Suarez loco ſupra dicto. Et poteſt definiri ex principijs Metaphyſicis. Nam inter illa realis intercedit diſtinctio, quæ ita ſibi ſunt affecta, vt ab inuicem ſeparata, vnum ſine alio ſubſiſtat & conſeruetur. Porrò poteſtas Ordinis & iuriſdictionis, ſeparatæ ab inuicem, vna ſine alia ſubſiſtit & conſeruatur. Et quidem poteſtas Ordinis, optimè ſubſiſtit & conſeruatur, ſine poteſtate iuriſdictionis, in Sacerdote ritè ordinato, & non expoſito ad audiendas Confeſsiones: poteſtas item iuriſdictionis, ſine poteſtate Ordinis, & ſubſiſtit, & conſeruatur in Parocho qui nondum eſt Sacerdos, hic enim habet integram iuriſdictionem, cuius, licet non poſsit per ſe actum exercere, poteſt tamen alteri delegare. Ergo inter has poteſtates realis intercedit diſtinctio. DEINDE. Quæ ex diuerſis profluunt principijs, realiter diſtinguuntur. Sed poteſtas Ordinis & iuriſdictionis, ex diuerſis profluunt principijs: poteſtas quidem Ordinis, per conſecrationem

confertur, indeq; à D. Thoma *loco supra dicto*, vocatur potestas Sacramentalis: potestas autem iurisdictionis, per simplicem hominis iniunctionem traditur, ideoq; iurisdictionalis potestas nuncupatur. PRÆTEREA. Mobile & immobile realiter distinguuntur; potestas Ordinis est immobilis, tam diu manet in homine, quàm diu viuit, nec vllâ vi creatâ ab illo separari potest; iam verò potestas iurisdictionis est mobilis, potest conferri & auferri. Nam si quis fortè Sacerdos, in schisma vel hæresim lapsus sit, aufertur ab eo potestas iurisdictionis, Ordinis auferri non potest. Ergo realiter distinguuntur. Hîc tamen obseruandum potestatem iurisdictionis in Summo Pontifice, non esse immutabilem, eò quòd eam habeat ab ipso CHRISTO immediatè.

OBIIC. Illa sunt realiter distincta, quæ sunt in diuersis suppositis, & naturâ distinctis. Potestas verò Ordinis & iurisdictionis, non sunt in diuersis suppositis sed in vno, scilicet habente vtramq; hanc potestatem: non ergo realiter distinguuntur. *Resp.* non est directa consequentia: non enim illa solùm realiter distinguuntur, quæ sunt in diuersis suppositis, verùm & illa, quæ diuersas habent formalitates in eodem licet sint supposito; nam albedo & dulcedo lactis, sunt realiter distincta, & tamen in eodem sunt supposito, naturâ indistincto, quippe in eodem lacte. Sic potestas Ordinis & iurisdictionis, quamuis in eodem sint habente, distinguuntur tamen realiter ob rationes positas.

COROLLARIVM 2.

Solus Summus Pontifex immediatè à CHRISTO, potestatem iurisdictionis accipit; cæteris omnibus, per simplicem hominis iniunctionem communicatur.

DVO proposita sunt in hoc Corollario explicanda, vnum de potestate iurisdictionis, quam Summus Pontifex habet: alterum, de eadem potestate, quam participant inferiores Summo Pontifice. Sit proinde

MEM-

MEMBRVM I.

An iurisdictio Summi Pontificis sit immediatè à Christo?

RESP. Nemo est, qui contradixerit, à CHRISTO immediatè iurisdictionis potestatem in Summum Pontificem deriuari. Subscribit D. Thomas *opusc. 1. cap. illo 32. & vltimo prolixo satis*, ab illo titulo. *Quòd Pontifex Romanus, est primus & maximus inter omnes Episcopos* vsq; ad finem opusculi. Et Suarez *disp. 25. Sect: 1.* Huc etiam facere videtur, quod idem Sanctus Doctor disputat, *2. 2. q. 1. art. 10.* quamuis ibi propriè agat de potestate extra hoc Sacramentum, scilicet de authoritate ordinandi symbolum. Patet veritas ex illo Ioan. 20. *Pasce oues meas*, vbi immediatè CHRISTVS Petro Potestatem iurisdictionis, super vniuersam Ecclesiam dedit, cui etiam Matth. 16. immediatè promisit. *Tibi dabo claues.* Summus autem Pontifex Petro succedit. DEINDE. Potestas in Ecclesia, quæ non habetur per hominum iniunctionem habetur immediatè à CHRISTO: Potestas autem iurisdictionis, quam in Ecclesia habet Summus Pontifex non habetur per hominis iniunctionem, non enim habet superiorem, cùm sit super omnes, vt in illo opusculo multis ostendit S. Doctor. Ergo habetur immediatè à CHRISTO. PRÆTEREA. Iurisdictio super vniuersam Ecclesiam, ab illo datur immediatè, qui est super vniuersam Ecclesiam. Sed iurisdictio Summi Pontificis, est super vniuersam Ecclesiam. Ergo immediatè à CHRISTO datur, qui est super vniuersam Ecclesiam; non enim potest dari iurisdictio, nisi ab habente illam; nullus autem hominum habet iurisdictionem immediatè super vniuersam Ecclesiam; quam tradat Summo Pontifici, nisi CHRISTVS.

D. Thom. Suarez.

INSVPER. Illa iurisdictio immediatè est à CHRISTO, quæ à nulla humana potestate dependet, quin potiùs omnes ab illa. Sed iurisdictio Summi Pontificis, à nulla humana dependet potestate sed omnes ab illa. Ergo immediatè à CHRISTO habetur. DENIQ;. Vniuersalissima iurisdictio quoad loca, Personas, culpas, & quoad modum vtendi illa per se, vel per alios ab ipso CHRISTO immediatè habetur, talis verò est Summi Pontificis.

OBIIC: Summus Pontifex habet Potestatem iurisdictionis per hominum

minum iniunctionem. Ergo non immediatè à CHRISTO. ANTEC. suadetur, siquidem potestas quæ acquiritur ex vi muneris ab hominibus iniuncti, ipsa per simplicem hominis iniunctionem habetur. Summus autem Pontifex habet potestatem iurisdictionis, ex vi muneris ab hominibus iniuncti. Ergo ASSVMPTVM constat. quod enim ex humana electione habetur ab hominibus iniungitur. Summus Pontifex habet munus ex humana electione, *Resp.* ANTECED: falsum est, ad probat. d. quòd Summus Pontifex non accipit munus ex humana electione, non enim illi, qui eligunt Summum Pontificem, munus illi præbent: nam tantùm illi sua electione personam designant, munus autem ipsi à CHRISTO immediatè confertur. Ita enim & Matthias *Act:* 1. ab hominibus ad Apostolatum electus fuit, ab ipso tamen CHRISTO immediatè Apostolatum accepit. Idem de se & Paulus *Galat.* 1. dicit, se Apostolatum non ab hominibus, neq; per hominem, sed per IESVM CHRISTVM accepisse.

MEMBRVM II.

An inferioribus Summo Pontifice, per hominis iniunctionem, potestas iurisdictionis conferatur?

RESP. Fuerunt aliqui dicentes, potestatem iurisdictionis, in ipsa ordinatione Sacerdotij conferri, ob idq; iure diuino conuenire: atq; hanc opinionem defendit Armacanus *lib.* 11. *de quæstion. Armenorum*, in eam inclinat Almainus *in* 4. *dist.* 18. *art.* 4. Durandus probabilem existimat, *dist.* 19. *q.* 2. Porrò ab homine conferri iurisdictionis potestatem, omnibus Summo Pontifice inferioribus, res est certa. Ita expreßè habet D. Thom. 2. 2. *q.* 39. *art.* 3. vbi dicit. *Potestas iurisdictionalis est, quæ ex simplici iniunctione hominis confertur.* Et subscribit Soto *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 2. Suarez *disp.* 16. *Sect.* 3. & alij. Etenim si potestas iurisdictionis ad remittenda peccata in foro pœnitentiali, inferioribus Summo Pontifice competeret iure diuino, eam haberent vi ordinationis, vt voluit Armacanus, hoc verò dici non potest. Tùm ideo, quia quod habetur vi ordinationis amitti non potest, iurisdictionem autem possunt amittere inferiores Summo Pontifice. Tùm quia si inferior Summo Pontifice, haberet iurisdictionem in hoc foro ex vi ordinationis:

Armacan.
Almain:
Durand.
D. Thom.
Soto
Suarez.

T aut

aut illam haberet reſpectu omnium fidelium indifferenter, aut reſpectu aliquorum. Aſt nihil horum dici poteſt. Ergo, ASSVMPTVM per ſingula notificatur: non enim reſpectu aliquorum tantùm, quia non eſt maior ratio, cur reſpectu horum potiùs, vi ordinationis haberet iuriſdictionem quàm illorum. Non etiam reſpectu omnium indifferenter, quia ſic quilibet Sacerdos ritè ordinatus, poſſet quoslibet abſoluere. Tùm quia turbaretur ordo in Eccleſia. Tùm quia Concilia dicunt aliquam abſolutionem, nullius eſſe momenti, quando profertur à non habente iuriſdictionem, vt patet ex Lateranenſi, *Cap. omnis* Et Trident: *Seſſ.* 14. *cap.* 7. DEINDE. Poteſtatem iuriſdictionis habent ex vi muneris ſui. Sed munus illud quodcunq; eſt, omnes inferiores Summo Pontifice, accipiunt per iniunctionem hominis, cùm & Epiſcopi hoc modo à Summo Pontifice accipiant, ab illo dependenter. Vt docet LEO *Epiſt.* 87. INNOCENTIVS, 1. *Epiſt:* 26. CALIXTVS *Epiſt.* 2. c. 23. Ergo & poteſtatem iuriſdictionis.

Lateran. Trident. LEO, INNOCENT. CALIXT.

OBIIC: Omnes Apoſtoli acceperunt poteſtatem iuriſdictionis immediatè à CHRISTO. Ergo etiam omnes Sacerdotes in hoc foro pœnitentiali, immediatè à CHRISTO accipiunt iuriſdictionem. CONSEQVENTIA oſtenditur, quia ſicut Pontifex ſuccedit Petro, ita cæteri Epiſcopi ſuccedunt alijs Apoſtolis. Sed Pontifex immediatè accipit iuriſdictionem à CHRISTO, quia ſuccedit Petro, qui eo modo illam accepit. Ergo etiam cæteri Epiſcopi immediatè accipiunt à CHRISTO, quia ſuccedunt alijs Apoſtolis, qui eo modo eam acceperunt. *Reſp.* Aliter accepit Petrus iuriſdictionem immediatè à CHRISTO, aliter cæteri Apoſtoli. Petrus accepit immediatè, iure hæreditario in ſucceſſoribus manſuram in perpetuum in Eccleſia. Alij Apoſtoli, licet immediatè acceperunt à CHRISTO, non tamen eo modo, vt iure hæreditario tranſiret ad eorum ſucceſſores: hoc enim proprium Petri fuit, cui ſpecialis promiſſio facta fuit, *Matth.* 16. Acceperunt ergo Apoſtoli immediatè à CHRISTO poteſtatem iuriſdictionis, iure delegationis & Apoſtolatûs, & quemadmodùm Apoſtolatum non acceperunt à CHRISTO Apoſtoli, vt perpetuò duraturum in Eccleſia, ita nec poteſtatem iuriſdictionis, eo modo immediatè acceperunt à CHRISTO, vt hic modus eam accipiendi, perpetuus eſſet in Eccleſia.

COROL-

COROLLARIVM 3.

In mortis articulo, absoluendi à quibusuis peccatis, potestatem iurisdictionis, ab Ecclesia quilibet Sacerdos habet.

Certum est extra mortis Articulum, non posse hoc Sacramentum ministrari, nisi ab eo, qui expositus est ad audiendas Confessiones, proindeq; post Concilium Trident. inualida est absolutio datà ab illo Sacerdote, qui non sit approbatus, de mortis articulo quid sentiendum, nunc est decernendum. Sit itaq;

MEMBRVM I.

An in mortis articulo quilibet Sacerdos possit absoluere?

RESP. In mortis articulo, seu periculo probabili, quale est prælium, aut periculosa nauigatio, partus mulieris si desit proprius aut expositus; potest quilibet Sacerdos, à quibusuis peccatis absoluere. Ita Nauarrus in summa, *c. 26. n. 31.* Palud. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 5. *art.* 2. Syluester verbo *Confessor*, Gloss. in cap. *Pastoralis*. Atq; ita definitum est in Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 7. vbi ita dicitur. *Piè admodùm in Ecclesia DEI, custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio, in articulo mortis; atq; ideò omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibusuis peccatis & censuris, absoluere possunt.* Et cum dicitur *omnes Sacerdotes*, accipiendum est, non solùm de expositis, sed etiam de non expositis etiam degradatis, excommunicatis, schismaticis, & hæreticis, qui aliquando ritè erant ordinati. Sicut enim distributio illa, *Quoslibet pœnitentes*: comprehendit omnes pœnitentes, nullo excluso: & illa distributio. *A quibusuis peccatis* &c. comprehendit omnia peccata, nullo etiam reseruato: ita distributio *Omnes Sacerdotes*, comprehendit omnem Sacerdotem ritè ordinatum. Sed distributio *Quoslibet pœnitentes*, non excludit in articulo mortis etiam excommunicatos & hæreticos; & distributio *A quibusuis peccatis*, includit etiam censuris affecta. Ergo & distributio *Omnes Sacerdotes*, non amouet à ministerio huius Sacramenti in articulo mortis neq; præ-

Nauar. *Syluest.* *Gloss.* *Trident:*

Can*, parte 5. Relec. de pœnit.

cisos, hæreticos, &c. RATIO dictorum, nam iurisdictionis potestas, ad remittenda peccata in foro Pœnitentiæ, habetur per concessionem Ecclesiæ. At cuiuis Sacerdoti, etiam excommunicato, & hæretico pro articulo mortis, Ecclesia iurisdictionem concedit. Ergo quilibet pro tali casu eam habet. ASSVMPTVM non indiget probatione, si enim Ecclesia, non cuilibet Sacerdoti, vt possit in articulo mortis absoluere, iurisdictionem communicaret, deesset in summa necessitate, multis filijs suis. Hoc autem de Ecclesia sentiendum non est, quæ imitatur CHRISTVM sponsum suum; & quoniam ille nulli deest Sacramento Baptismi in articulo necessitatis, quod ad salutem omnibus necessarium esse voluit, ita Ecclesia nulli vult deesse Sacramento Pœnitentiæ. Cuilibet ergo Sacerdoti, vt possit absoluere in articulo mortis, succurrit iurisdictione. DEINDE. Quod prædicti Sacerdotes, aliàs non habent iurisdictionis potestatem ad absoluendum, hoc ideò, quia eos lex Ecclesiastica amouet à ministerio Sacramentorum: in articulo verò extremæ necessitatis eos non amouet, necessitas enim non habet Legem. PRÆTEREA. Odia debent restringi, fauores ampliari. Quòd autem quilibet Sacerdos in articulo mortis, quemlibet pœnitentem, à quibuslibet peccatis, possit absoluere, est fauor & gratia. Quòd verò præcisi, Sacramentorum ministerio priuantur, est odium. Ergo illud ampliandum, hoc restringendum; ampliandus fauor, vt in articulo mortis, possit quilibet, quemlibet, & à quibuslibet peccatis absoluere: restringendum autem odium, quod præcisos à ministerio amouet, nam pœnæ legum interpretatione molliendæ sunt non exasperandæ. *de pœnit. d. 1. cap. pœnæ.*

Cap. pœnæ,

OBIIC: 1. Extra Ecclesiam non est remissio peccatorum, vt docet Bonifacius. Sed excommunicati & hæretici sunt extra Ecclesiam. Ergo nec in articulo mortis, ad remissionem peccatorum, per absolutionem operari possunt. *Resp.* extra Ecclesiam non est remissio peccatorum, non quòd eum, qui Sacramenta ministrat in remissionem peccatorum, omninò sit necesse esse intra Ecclesiam, nam & Baptismus validè ministratur in remissionem peccatorum ab infideli, adhibitâ debitâ materiâ, formâ & intentione, licet qui ministrat, sit extra Ecclesiam. Dicitur ergo remissio peccatorum, non esse extra Ecclesiam, quia constitutus extra Ecclesiam, non est capax remissionis peccatorum, cùm non sit vnitus capiti CHRISTO, cuius virtus in Sacramentis ope-

Bonifac.

tis operatur in remissionem peccatorum: non sunt verò vniti CHRISTO capiti, qui separantur à corpore eius, quod est Ecclesia. Vel etiam, extra Ecclesiam non est remissio peccatorum, i. non est potestas ad remittenda peccata, nisi cui communicat eam Ecclesia, nam in Ecclesia, hæc potestas est plena & perfecta.

OBIIC: 2. Nullus diuisus ab vnione Ecclesiæ, habet iurisdictionem in foro Pœnitentiæ, ad remittenda peccata, quæ datur in ædificationem, & non in destructionem. 2. *Cor.* 10. Sed hæretici & excommunicati, sunt diuisi ab vnione Ecclesiæ. Ergo hæretici & excommunicati, nunquàm possunt habere iurisdictionem in foro Pœnitentiæ, ad remittenda peccata, sicut nec palmes præcisus à vite, potest aliquam in se virtutem habere. *Resp.* Propositionis distinctione: diuisi ab vnione Ecclesiæ, regulariter non habent iurisdictionem, in articulo tamen extremæ necessitatis, etiam talibus Ecclesia dat iurisdictionem.

INSTABIS. Charitas Ecclesiæ peccata dimittit, ita enim August: *Tract.* 121. *in Ioan. Ecclesiæ charitas, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit.* Sed excommunicati & hæretici, non habent Ecclesiæ charitatem. Quomodo enim habet vel exiguam charitatem, qui etiam conuictus non amat vnitatem? idem dicit. *Sermone* 50. *de verbis Domini.* Ergo excommunicati & hæretici, non sunt capaces potestatis remissiuæ peccatorum. *Resp.* charitas Ecclesiæ remittit peccata i. per virtutem Spiritûs sancti, qui charitas est Ecclesiæ, quia eo vnita sunt membra Ecclesiæ; & hanc virtutem Spiritûs sancti, in ordinatione collatam ad remitenda peccata, non amittit ille, qui per peccata amittit charitatem, vt docet Concil. Trid. *Seß.* 14. *cap.* 6. August. Trident.

OBIIC: 3. Si excommunicatus, degradatus, & hæreticus, possunt existenti in articulo mortis, potestate clauium peccata dimittere. Ergo ille ab eis accipit remissionem peccatorum. Sed in articulo mortis existens, non potest ab excommunicato, degradato & hæretico, accipere peccatorum remissionem. Ergo nec illi possunt dare. CONSEQ. MAIORIS clara in reciproca terminorum conuersione. MIN: probatur. quia nemo accipit remissionem peccatorum, secundùm hoc quod peccat, quia hoc esset ponere, contradictoria esse simul: ait D. Thom. 3. *p. q.* 68. *art.* 4. *c.* Sed qui in articulo mortis, accipit absolutionem ab excommunicato, degradato, & hæretico, secundùm hoc ipsum peccat. D.Thom.

Ergo, ASSVMPTVM item declaratur, nam qui alterius peccatò consentit, peccat. Rom. 1. *Digni sunt morte, non solùm qui malè faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*; in articulo autem mortis accipiens absolutionem ab excommunicato, degradato & hæretico, consentit peccato illorum, peccant enim absoluentes, dùm in tali statu existunt, in quod ille consentit, quia ab eis accipit absolutionem, & potissimum ab hæreticis declinandum, hortatur S. Ioannes Apostolus, Epist. 2. d. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis, qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis*. Ergo etiam dùm accipit ab eo absolutionem. Resp. neg: MIN. Ad probat. d. potest non peccare excommunicatus, &c. dando absolutionem existenti in articulo mortis, si contritionem habeat absoluendo, quam tenetur habere, nam tunc faciens, quod in se est, dignè ministrabit absolutionem. DEINDE. licet illi fortasè indignè sint Sacramentum ministraturi, hoc non imputabitur pœnitenti, sed ipsis, nam licitè petit id, quod illi tunc licitè ministrare possunt, si faciant quod in se est.

MEMBRVM II.

An absolutus à reseruatis, in articulo mortis à simplici Sacerdote, postquàm euaserit, teneatur adire Superiorem?

RESP. non teneri, RATIO est: quia nemo tenetur iterùm confiteri illud peccatum, à quo directè & per se, fuit absolutus. Sed qui in articulo mortis, confitetur, casus reseruatos, per se & directè, per simplicem Sacerdotem, ab eis fuit absolutus. Ergo postquàm euasit articulum mortis, non tenetur iterùm illos confiteri. ASSVMPTVM patet, quia directè & per se absoluitur, qui absoluitur ab habente iurisdictionem ad absoluendum. Sed in articulo mortis, quilibet Sacerdos, habet iurisdictionem ad absoluendum, à quibusuis peccatis, etiam reseruatis, perinde atq; à non reseruatis, tunc enim nulla est reseruatio, vt Concil. Tridentinum loquitur. Sess. 14. cap. 7. Ergo qui in articulo mortis
Trident. confessus est casus reseruatos, etiam à simplici Sacerdote, directè & per se, fuit ab illis absolutus.

OBI-

OBIIC: Tunc non tenetur pœnitens iterum confiteri peccatum, quando absoluenti data est iurisdictio absolutè. At absoluenti à casibus reseruatis in articulo mortis, non datur absolutè iurisdictio. Ergo pœnitens, postquàm euasit articulum mortis, tenetur illos casus confiteri Superiori. ASSVMPTVM deducitur, quia illa iurisdictio conceditur cum onere & obligatione comparendi coram Superiore, vt constat ex Cap. *De cætero, de Sententia excommun.* Ergo non conceditur absolutè. *Resp.* neg. ASSVMPTVM. Ad probat. d. Conceditur iurisdictio absoluendi à reseruatis in articulo mortis, cum onere comparendi coram Superiore, quando illi casus habent annexam excommunicationem: tunc enim nisi pœnitens paruerit, in similem incidet excommunicationem, si verò casus illi reseruati, non habent vllam annexam censuram, nullum est onus aut obligatio comparendi. Quanquàm etiamsi casus habuit annexam excommunicationem, non tenetur comparere, si absens paret, nam ad parendum solùm, & non vt absoluatur, iubetur præsentari, vt tenet Nauarrus. Quin etiam post Concil: Trid. nulla videtur esse obligatio se præsentandi, cùm absolutè dicat, in articulo mortis nullam esse reseruationem, posseq; quemuis Sacerdotem absoluere ab omni censura, nihilq; de vlla additur obligatione. Hîc

Cap. De cætero.

Nauarrus. Trident. Supra.

NOTA: Quando tempore præcepti vrgentis, simplex Sacerdos absoluit à non reseruatis, & cum reseruatis mittit ad Superiorem per absolutionem & iurisdictionem circa non reseruata, indirectè & concomitanter, tollitur culpa reseruatorum, propter connexionem, quam mortalia peccata habent inter se, in ordine ad remissionem, vbi vnum mortale, sine alio non remittitur. Excommunicatio autem, nonnisi per directam absolutionem & iurisdictionem tollitur: neq; enim vna excommunicatio cum alia, inter se habent connexionem; neq; excommunicatio cum culpa, quia potest vna excommunicatio tolli, sine alia, & culpa sine excommunicatione, & excommunicatio sine culpa.

D.Thom. Suppl. q. 24. art. 5.

MEMBRVM III.

An iurisdictio absoluendi in articulo mortis, ab Ecclesia habeatur?

RESP. Melchior Canus, *parte 5. Relect. de pœnit.* eam iurisdictionem

Canus.

nem, sensit diuino iure haberi. Veriùs tamen est, ab Ecclesia manare.

Bonauent. Maior, Domin. Soto. Petr: Soto Trident. Ita Bonauent: *in* 4. *dist.* 19. *art.* 3. *q.* 1. Maior, *q.* 1. Soto *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 4. Petr. etiam Soto *Lect.* 5. *de Confess.* Idem videtur definiuisse Concil. Trid. *Supra*, nam de hac re dicens, ita ait. *Piè admodùm in Ecclesia* DEI *custoditum semper fuit &c.* RATIO est, quia hæc iurisdictio si esset de iure diuino, omnes Sacerdotes essent pares in illo articulo. At non omnes sunt pares. Ergo iurisdictio illa, non est de iure diuino. ASSVMPTVM liquet, quia vbi vnus præfertur alteri, ibi non est paritas, iam in articulo mortis, vnus Sacerdos præfertur alteri; nam si adsit expositus; præfertur non exposito, Proprius alieno & sic de cæteris. Ergo in articulo mortis, ad dandam absolutionem, non omnes Sacerdotes sunt pares.

August: OBIIC: Perpetua Ecclesiæ traditio cuius initium ignoratur, est signum iuris diuini, ita August. *lib.* 4. *de Baptismo cap.* 24. Atqui Sacerdotem quemlibet habere iurisdictionem absoluendi in articulo mortis, est perpetua Ecclesiæ traditio, cuius ignoratur initium. Ergo quilibet Sacerdos, in articulo mortis, absoluendi iurisdictionem, diuino iure possidet. *Resp.* neg: ASSVMPT. est quidem perpetua Ecclesiæ traditio, quemlibet Sacerdotem habere iurisdictionem absoluendi in articulo mortis, sed huius traditionis initium non ignoratur esse ab Apostolis, quod insinuat Concil. Trident: dicens. *Ne aliquis periret, custoditum semper fuit in Ecclesia, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis.*

Trident:

COROLLARIVM 4.

Potestas iurisdictionis, quâ Sacerdos absoluit Summum Pontificem, ab ipso manat, vt à supremo CHRISTI Vicario.

Palud. Capreol: Canus, Quanquàm Paludanus *in* 4. *dist.* 16. *q.* 2. Capreolus item *eadem distinct. q. vnica art.* 3. sentiunt iurisdictionem, quâ Sacerdos absoluit Summum Pontificem, esse ab ipso CHRISTO immediatè, quorum sententiam amplectitur Canus, *parte* 5. *Relect. de pœnit.* Communis tamen sententia habet, Sacerdotem qui absoluit Summum Pontificem, ab ipso Pontifice habere iurisdictionem. D. Thom. *Suppl. q.* 20. *art.* 3. Alensis 4. *p. q.* 80. *m.* 3. *art.* 2. §. *Quantum ad secundùm, in responsi-*

D. Thom. Alensis.

sponsione, Ad illud quod obijcitur de iurisdictione. RATIO Corollarij, quia à quo dependet iurisdictio Sacerdotis absoluentis, ab eo manat. Ast Sacerdotis absoluentis Summum Pontificem, iurisdictio dependet ab ipso Summo Pontifice. Ergo ab ipso in Sacerdotem manat. ASSVMPTVM comprobatur, quia omnis inferior dependet in iurisdictione à suo superiore. Sacerdos autem absoluens Summum Pontificem à peccatis, nihilominus est ipso inferior, tanquam supremo CHRISTI Vicario. Ergo tunc etiam in illa iurisdictione dependet à Summo Pontifice.

RESP. Sufficit voluntaria subiectio, quâ se, vt peccator subijcit potestati clauium, & materiam proponit. Sed CONTRA. In foro iudiciali præter accusatorem, requiritur iurisdictio, ad legitimam sententiæ prolationem, Voluntaria autem subiectio in foro pœnitentiali, ad hoc tantùm necessaria est, vt se pœnitens accuset. Ergo ad integritatem huius iudicij non sufficit voluntaria subiectio. DEINDE. A quo iurisdictionem habet Sacerdos absoluens vnum & alterum pœnitentem, ab eo habet dùm absoluit etiam tertium, quamdiu non reuocatur. Sed Sacerdos absoluens alios pœnitentes, iurisdictionem habet à Summo Pontifice. Ergo etiam dùm ipsum Summum Pontificem absoluit, qui & ipse inter pœnitentes tunc recensetur.

OBIIC: Nemo potest iurisdictionem committere nisi in eos, quorum ipse est aliquomodo superior aut pastor. Sed Summus Pontifex, non est suijpsius superior, nec pastor aut iudex. Ergo non potest Sacerdoti iurisdictionem committere in seipsum, in foro pœnitentiali. *Resp.* Summus Pontifex, non illo actu, quo se subijcit vt peccator iurisdictionem delegat Sacerdoti, sed illo, quo & in cæteros pœnitentes, cùm & ipse sic indigeat remissione cùm peccauerit, sicut cæteri. Potest etiam dici pastor suijpsius, quia curam sui gerit, non minùs atq; aliorum.

QVÆSIERIS vltimò. Cùm à Summo Pontifice iurisdictio manat in omnes, cur ergo Sacerdos absoluens, non dicit se absoluere authoritate Summi Pontificis, sed CHRISTI? *Resp.* hæc est ratio, quia Sacerdos proferens sententiam absolutionis, non solùm verba formæ profert, vt declaratiua iuris, sed profert verba, vt effectiua illius effectûs, quem significant: efficaciam autem istam, habent verba illa, ex potestate Ordinis, quatenus est virtus CHRISTI, cuius personam gerit Sacerdos, ideoq; absoluens, debet dicere se absoluere authoritate CHRI-

STI. Deinde etiam, licet potestas iurisdictionis per Pontificem conferatur, principaliter tamen manat à CHRISTO, à Pontifice autem, vt ab eius Vicario, proptereaq; hoc iudicium, simpliciter, authoritate CHRISTI celebratur.

OBIIC: Publicæ absolutiones ab excommunicatione, dùm fiunt, dicit Sacerdos se absoluere authoritate Summi Pontificis eò quòd ab ipso accepit iurisdictionem. Ergo etiam dùm absoluit in foro pœnitentiali, debet dicere, se absoluere authoritate Summi Pontificis, cùm ab eo similiter habeat iurisdictionem. *Resp.* dispar est ratio, dùm absoluit ab excommunicatione, dicit se absoluere authoritate Pontificis, quia eius personam tunc gerit, at cùm absoluit in foro pœnitentiali non gerit personam Pontificis sed CHRISTI, proinde & absoluere se dicit authoritate ipsius CHRISTI.



Hæc

Hæc breuiter de Potestate clauium Ecclesiæ, quoad forum vtrumq; tàm interius, quàm exterius. Quando verò Potestas clauium, quantùm ad potestatem Ordinis conferatur in ordinatione, pro Conclusione huius Tractatus vltimâ, sit hoc

PROBLEMA.

Vtrum poteſtas remittendi & retinendi peccata, ſimul conferatur cum poteſtate conſecrandi in ordinatione?

Senſus eſt propoſiti Problemati, quoniam Ordinis Sacerdotalis, duplex poteſtas eſſe dicitur. Vna ſuper *Corpus* CHRISTI *verum*, id eſt poteſtas conſecrandi; altera *ſuper Corpus* CHRISTI *myſticum*, ſuper fideles, id eſt, poteſtas ligandi & ſoluendi, ſeu remittendi & retinendi peccata. Quæritur: ſimulne ſub eadem actione, an diuiſim, ſub diuerſis ritibus conferantur? hoc eſt, an poteſtas remittendi peccata, tunc confeeratur, quando etiam confertur poteſtas conſecrandi, in traditione patenæ cum pane, & calicis cum vino, num verò ſucceſſiuè in manuum impoſitione, cum illis verbis, *Accipe Spiritum ſanctum &c.* Duæ itaq; ſunt in hac re diuerſæ Theologorum Sententiæ. vna Affirmans, ſimul vtramq; poteſtatem conferri in traditione patenæ cum pane, & calicis cum vino; altera Negans ſimul vtramq; tradi, ſed ſucceſſiuè. Et quidem hæc eſt Sententia eorum, qui cenſent per partes conferri Sacerdotij ordinem, ita quòd prius conferatur, quantùm ad ſolam poteſtatem principalem, ſcilicet conſecrandi Euchariſtiam, à qua dependet alia poteſtas minùs principalis, ſeu ſecundaria. Hanc itaq; ſolam poteſtatem cenſent conferri, in porrectione patenæ cum pane, & calicis cum vino, per illa verba formæ. *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium, Miſſaſq; celebrandi, tam pro viuis, quàm pro defunctis.* Porrò

aliam poteſtatem, ad remittenda & retinenda peccata, diuiſim cum nouo Charactere, ſiue cum extenſione prioris conferri in manuum impoſitione, per illa verba: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata: remittuntur &c.* Ita ſentit Bellarm. *Tom. 2. de Sacram. Ordinis cap. 9.* Vaſquez *Tom. 3. in 3. p. D. Thomæ, diſp. 239.* & alij quos ibi citant.

Bellarm: Vaſquez.

Affirmans Sententia, non diuiſim, ſed ſimul tempore, ſub eadem actione, conferri in ordinatione poteſtatem clauium, quæ eſt ligandi & ſoluendi, ſeu retinendi & remittendi peccata, cum poteſtate conſecrandi, eſt eorum qui dicunt integram poteſtatem Ordinis Sacerdotalis, cum Charactere & Sacramento, conferri in traditione patenæ cum pane, & calicis cum vino, cum prolatione formæ: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium &c.* atq; hanc eſſe totam & adæquatam materiam & formam Sacerdotij. Porrò impoſitionem manuum, eſſe accidentariam, in eaq; cum illis verbis, *Accipe Spiritum ſanctum, &c.* non conferri poteſtatem, ſed ſolùm denotari quod iam ante peractum eſt, atq; illa ceremoniâ explicari tantùm, quod iam datum eſt, poteſtatemq; iam collatam deputari ad actus ligandi & ſoluendi, ſeu remittendi & retinendi peccata, vt per modum iudicij illa poteſtas exerceatur, quæ in ipſa ſui collatione, non fuit determinata, ad hunc modum executionis, ſcilicet per modum iudicij. Hæc affirmans ſententia tribuitur Dominico Soto, *in 4. diſt. 24. q. 1. art. 4. Concluſ. 5.* Capreolo ibidem *q. 1. art. 3.* Ioanni Maiori, Ruardo Tapper *art. 17.* Quid ſit tenendum in hoc negotio, multi ex recentioribus Neganti ſubſcribunt; mihi verò quanquam Affirmans, magis eſt cordi, nolo tamen quidquam determinare, vel in hanc vel in illam partem, ſed Problematicè dumtaxat paucis diſſerendi animus.

Domin. Soto Capreol. Maior, Tapper.

Negans ergo in primis Sententia, his poteſt rationibus ſtabiliri.

1. Vbi conficitur Sacramentum Ordinis, ibi confertur poteſtas; etenim Sacramentum Ordinis, eſt ſignaculum, ſeu Sacrum quoddam, quo Spiritualis poteſtas alicui traditur, vt definit Magiſter Senten. *lib. 4. diſt. 14. Cap. Si autem quæritur.* Sed in manuum impoſitione, cum illis verbis, *Accipe Spiritum ſanctum,* conficitur Sacramentum Ordinis. Ergo ibi cōfertur poteſtas ſpiritualis, non ad conſecrādum, quia hæc iam priùs collata fuit. Ergo poteſtas clauium ad ligandum & ſoluendum, ſeu

Magiſter.

ſeu ad remittenda & retinenda peccata prout ſignificant ipſa verba formæ. Min. Vbi forma legitimo modo applicatur materiæ, ibi Sacramentum conficitur. Sed in manuum impoſitione, cum illis verbis, *Accipe Spiritum ſanctum &c.* forma legitimo modo applicatur materiæ, verba ſcilicet prædicta, ipſi manuum impoſitioni, quam pro Symbolo externo, ſeu materia ordinationis, tradunt ſcripturæ. *Act.* 6. in ordinatione ſeptem Diaconorum dicitur. *Orantes impoſuerunt eis manus.* Et *cap.* 13. in ordinatione Pauli & Barnabæ. *Ieiunantes, & orantes, imponentesq; eis manus, dimiſerunt illos.* Ergo in illa impoſitione manuum, cum verbis, *Accipe Spiritum ſanctum &c.* conficitur Sacramentum Ordinis.

2. In qua actione ordinationis datur gratia in illa traditur poteſtas, non enim in ordinatione datur gratia, quin ſimul tradatur poteſtas. Sed per manuum impoſitionem in ordinatione datur gratia, 1. *Tim.* 4. *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterij.* Et 2. *Tim:* 1. *Reſuſcites gratiam DEI, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.* Ergo in manuum impoſitione, cum illa forma, *Accipe Spiritum ſanctum*, traditur poteſtas, & vtiq; ad remittenda & retinenda peccata.

3. Si vtraq; poteſtas, & conſecrandi & remittendi, atq; retinendi peccata, ſimul traderetur, in porrectione inſtrumentum, & nulla in manuum, impoſitione, tanquam hæc eſſet accidentaria, deberet ſcriptura illam potius nominare, quæ eſt eſſentialis ad collationem poteſtatis, quàm hanc, quæ eſt accidentaria, ſicut in alijs Sacramentis, ſolùm eſſentiales ceremonias memorat. Sed in ordinatione omittit ſcriptura porrectionem inſtrumentorum, & ſolam manuum impoſitionem memorat. Ergo illa non eſt accidentaria, ſed de eſſentia requiritur ad collationem poteſtatis.

4. Si cum poteſtate conſecrandi, ſimul in ordinatione traditur poteſtas remittendi & retinendi peccata, poterit aliquis, cui tradita ſunt inſtrumenta, cum illa forma, *Accipe poteſtatem offerendi &c.* & non ſunt impoſitæ illi manus cum illis verbis, *Accipe Spiritum ſanctum &c.* eſſe miniſter Sacramenti Pœnitentiæ. Atqui hoc eſt abſurdum. Ergo cum poteſtate conſecrandi, non ſimul traditur poteſtas remittendi & retinendi peccata.

5. Christvs non ſimul, ſed diuiſim & ſucceſſiuè has poteſta-

tes contulit Apostolis. Vnam quidem in Cæna, cum dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, alteram post resurrectionem cùm insufflauit in Apostolos & dixit, *Accipite Spiritum sanctum.* Ergo etiam nunc Ecclesia idem facere debet.

6. Quam habet significationem verbum *Accipe*, ex vi vocis, in prima actione cùm dicitur, *Accipe potestatem offerendi*; eandem retinet in secunda actione cùm dicitur, *Accipe Spiritum sanctum.* Sed in illa prima actione per verba *Accipe potestatem*, non significatur explicari, sed re vera dari. Ergo & per illa in secunda actione, *Accipe Spiritum sanctum*, non significatur explicari, sed reuera dari.

Trident. 7. Dùm quis ordinatur, potestatem accipit. Sed quando manus imponuntur ab Episcopo, cum illis verbis, *Accipe Spiritum sanctum*, tùnc aliquis ordinatur in Presbyterum, ita enim Concil: Trident. *Sess.* 23. *Can.* 4. *de Sacramento Ordinis*, dicit. *Si quis dixerit, per Sacram Ordinationem, non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum sanctum, anathema sit.* Ergo dùm manus ab Episcopo imponuntur, cùm illis verbis, *Accipe Spiritum sanctum &c.* Potestas remittendi & retinendi peccata datur & confertur.

Affirmanti quoq; Sententiæ, ista possunt opitulari argumenta.

1. In ritu ab Apostolis introducto, potestas Sacramentalis tradi non potest, non enim poterant Apostoli Symbolis aliquibus, effectus conferre Sacramentales, cùm id munus fuerit solius Christi. Sed impositio manuum, fuit ritus ab Apostolis introductus, vt Gregor. IX. dicit *cap. Presbyter.* Ergo in manuum impositione non traditur potestas remittendi & retinendi peccata, quæ potestas & effectus est Sacramentalis.

2. Vbi totus Character imprimitur, ibi tota potestas traditur, siquidem Character nihil est aliud, quam potestas Spiritualis, vt docet D.Thom: D. Thomas 3. *p. q.* 63. *art.* 2. & per expressum in *Suppl. q.* 17. *art.* 2. *ad* 1. dicit *Character Sacerdotalis, nihil est aliud, quam potestas exercendi illud, ad quod principaliter ordo Sacerdotij ordinatur.* Sed in porrectione patenæ cum pane, & calicis cum vino, totus Character Sacerdotalis imprimitur. Ergo ibidem tota & integra potestas Sacerdotalis, tàm ad remittenda & retinenda peccata, quàm ad consecrandum confertur. Min. Vbi totum Sacramentum perficitur, ibi totus Character virtute illius imprimitur. Sed in porrectione patenæ cum pane, & calicis

licis cum vino, totum Sacramentum Sacerdotij perficitur, siquidem iam tunc Srcerdotes verè constituuntur, sicut & Apostoli in Cæna verè Sacerdotes erant instituti, vt docet Concil: Trid. *Sess. 2. 2. capi. 1. de Sacrificio Missæ.* dicens, *CHRISTVS in Cæna Apostolos noui Testamenti Sacerdotes instituebat.* Ergo totus Character Sacerdotalis, in porrectione illorum instrumentorum imprimitur.

3. Ni potestas remittendi & retinendi peccata, simul cum potestate consecrandi in ordinatione tradatur, sed diuisim & successiuè. Ergo Sacerdotium per partes confertur. Sed hoc est absurdum. Ergo potestas remittendi & retinendi peccata, simul cum potestate consecrandi confertur. MIN. Character per partes non confertur, cùm partes non habeat. Sed Sacerdotium confertur cum Charactere. Ergo Sacerdotium per partes non confertur.

4. Potestas atoma diuisim & successiuè conferri non potest, aliâs vnum idemq; bis conferretur. Sed potestas consecrandi, & remittendi atq, retinendi peccata, est potestas atoma. Ergo potestas consecrandi, & remittendi atq; retinendi peccata, diuisim & successiuè conferri non potest. MIN: Quæ sunt idem per essentiam, in atomo sunt; essentiæ enim rerum, dicuntur esse in indiuisibili. Sed potestas consecrandi & remittendi atq; retinendi peccata, est vna & eadem per essentiam, ita enim habet D. Thomas *Suppl. q. 17. 2. art. 1. Eadem potestas esse videtur per essentiam, qua Sacerdos conficere potest, & qua potest soluere & ligare, si iurisdictio adsit, nec differt nisi ratione, secundùm quod ad diuersos actus comparatur.* Ergo potestas conficiendi, & remittendi atq; retinendi peccata, est potestas atoma. D. Thom.

Ad argumenta pro SENTENTIA NEGATIVA militantia *Resp.*

AD 1. Sicut illa manuum impositio, non est essentialis ordinationi sed accidentaria, non quâ constituatur Sacramentum, sed qua demonstretur plenè constitutum, ita verba adhibita, non sunt collatiua potestatis Ordinis, sed explicatiua collatæ: ac deputatiua ad actus remittendi & retinendi peccata efficaciter.

AD 2. *Resp.* Datur gratia, non illa quæ datur ex opere operato, virtute Sacramenti, sed illa quæ datur per modum deprecationis, quam Ordinantes possunt impetrare pro ordinatis, quâ conuenienter, dignè & rectè fungantur potestate iam sibi collata, & officio.

AD 3. *Resp.* 1. Memorat scriptura traditionem rei permanentis. Et-

Etenim nunc Sacerdotes ordinantur per traditionem patenæ cum pane, & calicis cum vino, per prolationem formæ, *Accipe potestatem offerendi &c.* Hoc memorat scriptura, nam in Euangelio legitur CHRISTVS in ordinatione Apostolorum, tradidisse corpus suum, & Calicem cum sanguine, formamq; apposuisse, *Hoc facite in meam commemorationem*, quod perinde est, atq; dùm nunc panis simplex cum patena, & calix cum vino in ordinatione traditur, cum forma, *Accipe potestatem offerendi.* Resp. 2, Quòd in scripturis non fiat expressa mentio ritûs, traditionis patenæ cum pane, & calicis cum vino, non est mirum, siquidem nec ipsius sacrificij Missæ, expressam clarè alicubi inuenimus imaginem; expressior autem mentio impositionis manuum, scilicet primis illis temporibus, maximè necessaria fuit prædicatio Euangelij, ad propagationem fidei, manuum autem impositio, est valde accommodatum, signum missionis ordinatorum ad prædicandum Euangelium, sic enim, *Act.* 13. Paulus & Barnabas ordinati, hoc signo ad prædicandum mittuntur, ideo illis temporibus, vsitatissima fuit manuum impositio, & hanc crebrò scripturæ memorant.

AD 4. *Resp.* Sicut nec ille potest esse minister Sacramentı Pœnitentiæ, cui manus sunt inpositæ, sed nondum collata iurisdictio, in foro Sacramentali; ita ille, cui tradita est potestas ligandi & soluendi, simul cum potestate conficiendi, non potest esse minister eiusdem Sacramenti, nisi illa potestas deputetur ad hos actus.

AD 5. *Resp.* Capreolus, simul cum potestate offerendi, in vltima Cæna, potestatem remittendi & retinendi peccata, CHRISTVM tradidisse Apostolis. Sed post resurrectionem Spiritum sanctum dedit, quo ritè potestate illa & officio fungerentur Apostoli. Sicut enim in naturalibus, non solùm est potentia operandi, sed etiam habitus quidam potentiæ superadditur, vt aptè, faciliter & delectabiliter operetur; ita & Apostolis, non solùm data fuit potestas, sed etiam additus est habitus, scilicet gratia Spiritûs sancti, vt ritè & dignè munere suo fungerentur. Potestas ergo & Character idem omnino datus est Apostolis, & totus in cæna, sed tunc solùm expeditus ad vnum vsum primarium, impeditus ad secundarium, post resurrectionem autem expeditur, & explicatur. Sed cur CHRISTVS in cæna non explicauit potestatem ad remittenda & retinenda peccata datam Apostolis? forsitan quia nondum mortuus erat pro remissione peccatorum, at vbi iam traditus erat

erat propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, tunc explicauit secundùm hunc vsum, potestatem Apostolis ante traditam. Rom. 4.

AD 6. Resp. In prima actione expressè potestas ponitur, *Accipe potestatem &c.* quia illa datur, ideo expressè significatur: in secunda actione non ponitur expressè potestas, sed Spiritus sanctus, *Accipe Spiritum sanctum*, quia potestas noua non traditur, sed Spiritûs sancti gratia tribuitur, ad rectè vtendum potestate priùs tradita.

AD 7. Resp. Id ex verbis SS. Concilij Tridentini clarè non potest colligi, tantùm enim dicit illis verbis, *Accipe Spiritum sanctum*, significari & explicari potestatem in ordinatione datam ad remittenda & retinenda peccata. Ceterum, quando datur, an simul cum potestate consecrandi vel post, non explicat: nam & de impressione Characteris statim subiungit, qui tamen ante manuum impositionem fuit impressus.

Ad argumenta Affirmantis Sententiæ respondetur.

AD 1. Manuum impositionem dicit Pontifex ritum ab Apostolis introductum, non quod ab illis sit institutus, sed quia illi, primò vsi sunt ritu illo in ordinationibus, quemadmodum etiam extremam vnctionem ab Apostolis institutam dicit Magister Sent. *lib.* 4. *dist.* 23. non quòd illi instituerint, sed quia nobis eius institutionem & doctrinam promulgarint vt patet legenti *Iacob.* 5. Vel certè loquitur Pontifex, de illa manuum impositione, quæ adhibetur in principio, non solùm ab Episcopo, sed etiam à circumstantibus Presbyteris, sine vlla verborum prolatione. Magister.

AD 2. Resp. Verum est quidem, integer Character imprimitur, potestas tamen remittendi & retinendi peccata, quæ in Charactere fundatur, suspensa manet quoad vsum, ad manuum impositionem & verborum prolationem, *Accipe Spiritum sanctum &c.*

AD 3. Resp. Quamuis Character non accipiatur per partes, ille tamen prius, cum vna potestate actu collatus, extendit se, in manuum impositione, & explicat in aliam potestatem quæ est ligandi & soluendi.

AD 4. Resp. Neg. Min: licet enim sit vna per essentiam potestas conficiendi, & soluendi atq; ligandi, diuidi tamen potest per partes, sicut & essentiæ rerum licet dicantur consistere in indiuisibili, non sic

tamen intelligendum, quod nulla sit composita & diuisibilis in partes, quia essentiæ physicæ sunt diuisibiles in materiam & formam; essentiæ methaphysicæ seu omnes creatæ, in genus & differentiam: sed ita dicuntur esse in indiuisibili, quia prædicata essentialia certa sunt & immutabilia, ita vt neq; illis addi possit aliquod prædicatum distinctum, neq; subtrahi, sine destructione illius essentiæ. Et ob hanc causam essentiæ rerum comparantur numeris, quia sicut numerus mutatur additione vel subtractione vnitatis, simili modo, essentiæ rerum mutantur additione vel subtractione vnius quiditatiui prædicati. Nunc etiam potestas conficiendi & remittendi atq; retinendi peccata, dicitur vna esse per essentiam, non quòd omninò sit indiuisibilis, cùm etiam per actus diuersos diuidatur, sed vna est per essentiam & indiuisibilis, quia est vnius Sacerdotij, cui nihil ad integritatem requisitum subtrahi potest quin mancum & imperfectum relinquatur. Proindeq; S. Doctor. *Suppl. q. 37. art. 5. ad 2.* asserit expresse, CHRISTVM diuisim dedisse Apostolis potestatem Sacerdotalem, quod in Cæna dederit quantùm ad actum principalem, post resurrectionem quantùm ad actum secundarium, qui est ligare & soluere. Sed hæc meliori iudicio aliorum, & Ecclesiæ, in cuius obsequium omnem oportet captiuare intellectum, corrigenda relinquo.

D.Thom.



INDEX

JNDEX RERVM.

Quæ, in hoc Tractatu de Potestate clauium continentur.

Prior numerus paginam, versum indicat posterior.

 maioris

D

Q

R

unt

FINIS.



Lector Candide.

Errata, quæ inuito Typi Correctore, ſeu in ipſo Tractatu, ſeu in Indice rerum acciderunt, ita corrigere dignaberis.

Jn ipſo Tractatu.

Folium.	Verſus.	Erratum.	Correctum.
6.	25.	diſpenſando.	diſpenſandi.
8.	33.	Moſaicæ	Moſaica.
14.	12.	ſit à potiori.	fit.
16.	5.	clauium namq; .	clauium, namq;
17.	11.	Herb.	Hæbr.
18.	12.	Coroll. 3.	Coroll. 1.
48.	21.	ſatisfactioriæ.	ſatisfactoriæ.
54.	7.	pęnitentta.	pœnitentia.
Ibidem.	26.	CHHISTVS.	CHRISTVS.
65.	1.	fuper.	ſuper.
72.	20.	Indulgenrias.	Indulgentias.
75.	21.	amiticiæ.	amicitiæ.
78.	1.	diſpeſandæ.	diſpenſandæ.
98.	27.	interiori ſigno.	exteriori.
110.	1.	detorqueant Sacram.	detorqueant, Sacr.
112.	3.	pcceata.	peccata.
118.	11.	oſtaculo.	obſtaculo.
127.	5.	anathemati.	anathematis.
131.	26.	mortaliter.	moraliter.
136.	23.	cùm	eum.
140.	24.	Obijc: 3.	Obijc: 1.

Folium.	Versus.	Erratum.	Correctum.
155.	10.	Problemati.	Problematis.
160.	19.	inpositæ.	impositæ.

Occurrunt & alia, vt r. *inuersum fol.* 45. 2. *& alibi* n. *vel aliqua alia literula. vt* œ *loco* æ *fol.* 51. 24. *Alibi punctum, Commatis loco, vt fol.* 41. 14. *Alibi* n. *loco* u. *vt fol.* 110. 7. *Alibi transpositio literulæ, vt fol.* 111. 26. *in verbo* CRHISTVS. *Sed hæc, hisq́ similia, vt minoris momenti, Tuus excusabit & emendabit candor.*

In Indice Rerum.

Folium.	Columna.	Versus.	Erratum.	Correctum.
164.	1.	11.	156.	159.
Ibid.	Ibid.	20.	3.	33.
165.	1.	4.	29.	28.
168.	2.	8.	13. 96.	139. 6.
Ibid.	Ibid.	25.	ordinatactus.	ordinat actus,
Ibid.	Ibid.	vlt.	leges, condendi.	leges condendi,

In his, & in eo quod in Indice rerum, fol. 168. colum. 2. accidit, ex Versus 11. Verbo immediatè, *transiliisse literam* d, *insuperiorem versiculum.*

MEL

SVDA, DIC, FER.

Ita TE typi Corrector orat.

